



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica**

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

**Tanner, Adam**

**Ingolstadii, 1626**

Quæstio VIII. De Vita, Intellectu, & scie[n]tia Dei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

## QVÆSTIO VIII.

## De Vita, Intellectu, &amp; Scientia Dei.

S. Thomas 1. p. q. 14. 16. 17. 18.

**I**ncipit hic tractatio de attributis diuinis, quæ ad operationem Dei pertinent, vt notauit S. Thomas initio quæstionis 14. Post considerationem eorum, inquit, quæ ad diuinam substantiam pertinent, restat considerandum de ijs, quæ pertinent ad operationem ipsius. Et quia operatio quædam est, quæ manet in operante; quædam verò procedit in exteriorem effectum, primò agemus de scientia, & voluntate; & postmodum de potentia Dei, quæ consideratur vt principium operationis diuinæ in effectum exteriorem procedentis: de quare dictum initio huius disputationis.

Absoluitur autem hæc quæstio vndecim dubitationibus. I. An est quomodo in Deo sit scientia, vita, & veritas: seu qua ratione Deus sit viuens, intelligens, & verus. II. An est qua ratione Deus cognoscat seipsum. III. An est qua ratione generatim loquendo, Deus cognoscat creaturas; in seipso, an in seipsis. IV. An est qua ratione Deus cognoscat creaturas, tum existentes, tum possibiles; & num adeo etiam cognoscat infinita. V. An Deus cognoscat omnia futura contingentia, tum absoluta, tum conditionata. VI. Qua ratione Deus cognoscat futura contingentia; an immediatè in seipsis; vel in causis eorum, vel ex reali eorum presentia ab æterno. VII. An ea potius cognoscat in seipso, & qua ratione; num vt in idea, aut in decreto sue voluntatis, &c. VIII. An est qua ratione Deus cognoscat non entia, atque etiam mala. IX. Quotuplex sit scientia diuina; & quisnam in ea sit ordo respectu variorum obiectorum. X. Qualis sit Dei scientia; siue de attributis diuinæ scientiæ; & quenam scientia sit causa rerum, & practica. XI. De concordia diuinæ prescientiæ cum libero arbitrio. Quibus dubitationibus comprehenduntur omnia, quæ ad vitam & scientiam Dei pertinent; quæq. S. Thomas quæst. 14. articulis sedecim de scientia Dei; ac postea quæst. 16. 17. & 18. de veritate & falsitate, ac de vita Dei seorsim disputat.

Et prima quidem dubitatio pertinet ad quæstionem an est, & quid est, in genere: secunda verò, tertia, quarta, quinta, octaua & nona dubitatione explicantur obiecta diuinæ scientiæ. Sexta & septima dubitatio explicant intrinsecam rationem, & quasi propter quid scientiæ futurorum contingentium. Nona vniuersim respondet quæstioni qualis est. Decima quasi per anacephaleosin partitiones omnes & diuisiones diuinæ scientiæ exponit. Vndecima deniq. declarat peculiarem diuinæ prescientiæ habitudinem & comparationem ad libertatem arbitrij nostri. Et quamuis S. Thomas quæstiones de veritate & falsitate, ac de vita Dei seungat à quæstione de scientia Dei, illasq. huic subiungat; rectius tamen illa, quia inter se ipsa connexæ sunt, vt ipsemet S. Thomas initio quæst. 14. fatetur, in ipsa etiam tractatione coniunguntur. Certè cum viuere latius pateat, quam intelligere, non est ratio, cur quæstio de vita Dei, subiungatur quæstioni scientiæ Dei. An autem detur in Deo Intellectus, seu potentia intellectiua per modum actus primi, distincta à scientia Dei actuali, quia difficultas communis est cum voluntate, commodius disputabitur quæst. 11. vbi de potentia Dei agetur.

## DVBIUM I.

An, & quomodo in Deo sit vita, scientia, & veritas; seu qua ratione Deus sit viuens, intelligens, & verus.

S. Thomas 1. p. q. 14. art. 1. & 4. & quæst. 16. 17. & 18.

**3** Vn hæc tria quidem inter se ratione distincta, vita, inquam, scientia, & veritas; sed habent ta-

men quandam inter se, ac præcipuè ad ipsam Dei scientiam subordinationem; quare etiam simul hoc loco commodè explicantur; vti sequentibus assertionibus facimus.

Assertio I. Vita dupliciter Deo conuenit; primò essentialiter, etiam secundum formalem conceptum; deinde quasi per modum proprietatis & attributi. Est communis Doctorum, iuxta ea, quæ supra q. 1. d. 5. diximus. Probat. Quia vita vtroque modo est perfectio simpliciter, ac melior ipsa in quolibet Ente, quam non ipsa. Ergo vtroque modo necessario conuenit enti perfectissimo

& inf-

& infinito, qualis est Deus. Accedit quod in Deo est scientia & voluntas; quæ sunt operationes vitales, supponentes vtique naturam & essentiam intellectualem, adeoque viuentem. Idem ex iisdem principijs docet Aristoteles lib. 12. metaph. text. 31. & S. Thomashic quæst. 18. art. 3. accedit Scriptura Psal. 83. v. 3. *Cor meum & carum exultauerunt in Deum viuum*; ac passim alibi in Scriptura dicitur: *Viuo ego dicit Dominus*, aut, *viuit Dominus*: vt planè de fide sit, generatim loquendo, Deum viuere, seu vitam Deo propriè conuenire. Quomodo autem creaturæ omnes in Deo vita sint, quod docet S. Thomas eadem quæst. 18. art. 4. commodius seq. quæst. de Ideis declarabitur.

4 Assertio II. Vita neutro modo peculiare & distinctum Dei attributum constituit. Videtur communis Doctorum, & colligitur ex S. Thoma q. 18. initio, vbi ipsemet proficitur, se de vita Dei agere non per se, sed solum cum quodam subordinatione ad scientiam Dei. *Quoniam autem, inquit, intelligere viuentium est, post considerationem de scientia & intellectu diuino, considerandum est de vita ipsius.* Ratio est. Aut enim vita sumitur pro vita substantiali, & sic propriè non est attributum Dei, sed ipsa eius essentia; iuxta ea, quæ supra quæst. 2. dub. 1. de attributis Dei in genere diximus. Aut sumitur pro operatione seu potentia vitali, quæ in rebus creatis est verum accidens prædicamentale; & sic vita est quidem attributum Dei; sed non peculiare ac omninò distinctum ab intellectu & voluntate Dei: cum sit ratio quædam quasi generica, vtique tam intellectui, quam voluntati communis: penes rationes autem quasi genericas attributorum, non constituuntur peculiariora Dei attributa.

5 Assertio III. Deus est substantia viuens, intelligens; adeoque Deo propriè & perfectissimè conuenit intellectus & scientia. Ita S. Thomas q. 14. a. 1. & est de fide tum ex innumeris alijs Scripturæ locis, inferioris referendis; tum ex illo Apostoli Rom. 1. v. 33. *O altitudo diuinarum sapientia & scientia Dei.* Neque verò vllus vnquam fuit tam vecors aut stolidus, qui cum Deum aliquo modo cognosceret, negaret eum habere vitam & scientiam: nisi forrè Idololatra illi, qui vaccas, dracones, aliaque bruta animantia, aut res inanitas pro Dijs colebant: quanquam cum has ipsas votis sacrificijs, & orationibus colerent, eo ipso etiam vitam illis intelligentiamque tribuerunt.

Idem probatur euidenter ratione naturali. Quia quo substantia quæque est perfectior, & magis immaterialis, eo etiam perfectiorem habet cognitionem; vti patet inductione in omni viuentium rerum genere. Plantæ enim penitus non cognoscunt propter suam materialitatem, iuxta Aristotelem 2. de anim. text. 124. & quia formas sine materia, siue species intentionales nullo modo possunt recipere. Animalia verò quia habent sensum corporeum, receptiuum specierum sine materia, siue specierum sensibilium, habent vim cognoscendi sensitiuam & concretam materiæ. Denique substantiæ immateriales, quia recipiunt rerum omnium species immateriales; (qua de causa etiam Aristoteles lib. 3. de anim. text. 37. dixit, animam esse quodammodo omnia) ideo substantiæ immateriales ex suo genere perfe-

ctissime cognoscunt. Cum ergo Deus sit ens simplicissimum & maximè immateriale, necesse est, perfectissimam habere scientiam. Accedit, quod scientia siue intellectus est perfectio simpliciter, ac melior ipsa, quam non ipsa in quolibet Ente: ergo necessariò conuenit enti perfectissimo, & infinito, qualis est Deus.

6 Assertio IV. Scientia in Deo non est qualitas vel accidens aliquod, sed ipsa Dei substantia. Ita S. Thomashic q. 14. a. 1. ad 1. & art. 4. & est de fide ex dictis supra quæst. 3. dub. 1. de simplicitate Dei, vbi probauimus in Deo nullum esse accidens, ipsaque etiam attributa Dei à parte rei idem prorsus esse cum ipsa essentia diuina. Quod etiam tradit S. Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 7. vbi ait; *Deo hæc est esse, quod sapientem esse.* Vnde colligitur, (quod rectè ait S. Thomas art. 4.) *quod in Deo intellectus, intelligens, & id quod intelligitur* (quatenus in Deo est,) *& species intelligibilis, & ipsum intelligere sunt omninò vnum & idem.*

Assertio V. Scientia in Deo non est per modum habitus, neque per modum potentiæ passiuæ; sed est actus purus absque vlla potentialitate. Ita S. Thomas q. 14. a. 1. ad 1. & 3. & patet ex dictis superius de simplicitate, & perfectione Dei. In Deo enim nulla est potentia passiuæ. Neque habitus operatiuus naturæ aut potentiæ actiuæ superadditus locum habere potest, vbi substantia aliqua seipsa, ac vi sua naturali, ad facilius operandum est prompta & expedita. Quod argumentum probat, habitum operatiuum in Deo propriè nullum habere locum; ac pròinde eum nec ratione quidem nostra à natura ipsa diuina, seu vi intelligendi esse distinguendum; quæ planè est mens & doctrina S. Thomæ loc. cit. & apertè docet Aureolus in 1. d. 35. a. 3. vbi tamen simul etiam negat, dari in Deo intellectum per modum potentiæ distinctum ab operatione, de quo agemus infra q. 11.

7 Addit S. Thomas cit. art. 1. ad 3. scientiam Dei non habere etiam *modum scientiæ vniuersalis, vel particularis*: quod intelligendum est, non ex parte obiecti præcisè; cum Deus planè hoc modo & vniuersalia & particularia, (quæ seu vniuersaliter, seu particulariter de subiecto negantur vel affirmantur) cognoscat; sed ex parte ipsius scientiæ: quia sicut Deo ipsi propriè non conuenit ratio vniuersalis, puta generis, aut speciei, &c. ita nec scientiæ ipsius, ob eandem causam explicatam supra q. 3. dub. 1. de simplicitate Dei.

Assertio VI. Cognitioni diuinæ conuenit quidem ratio intellectus, siue Intelligentia, prout hæc dicitur cognitionem principiorum; item ratio scientiæ, sapientiæ, prudentiæ, consilij, & denique artis; sed hæc omnia in Deo sunt indiuisa; adeoque vna simplicissima cognitio, quæ omnes eas rationes in creaturis alioquin distingui & separari solitas, vnitè continet. Ita S. Thomashic q. 14. art. 2. nisi quod artis expressè nullam mentionem facit, cuius tamen meminit infra q. 22. art. 2. Probatur & declaratur. Nam quæ sunt diuisim & multipliciter in creaturis, in Deo sunt simpliciter & vnitè; & quidem etiam formaliter, si in ratione sua formali nullam includant imperfectionem; vti fit etiam in proposito. Quatenus enim Deus cognoscit principia, dicitur habere intelligentiam siue intellectum; scientiam verò secundum quod cognoscit conclusiones; li-

cer ea scientia ex principijs minimè causetur, sapientiam, quatenus cognoscit causam altissimam; consilium vel prudentiam, secundum quod cognoscit agibilia; denique artem, in quantum cognoscit & veratur circa factibilia particularia; quæ aliter & aliter ab eo fieri possunt.

8 Idem confirmatur ex illo Iob 22. *Apud ipsum est sapientia, & fortitudo, & ipse habet consilium & intelligentiam.* Et sæpius in scriptura Deus & sapientia diuina vocatur *Artifex*, vt Sap. 7. v. 21. *Omnium enim artifex docuit me sapientia.* Sap. 13. v. 1. *Neq. operibus attendentes, agnouerunt quis esset artifex.* Hebr. 11. v. 10. *Expectabat enim fundamentum habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus.* Neque nouum est, scientiæ, sapientiæ, &c. nomina, paulò aliter hîc usurpari, quam ab Aristotele sint definita: cum id etiam in plerisque alijs nominibus perfectionum creaturarum, prout Deo tribuuntur, cernatur; vt speciatim etiam dictum de scientiâ supra disput. 1. q. 2. dub. 3. Satis est, quod assignare possumus singulorum rationes formales proprias, ita abstractas, vt nullam imperfectionem inuoluant, quemadmodum dictum.

9 Assertio VII. Scientia Dei nec ab obiecto, nec ab vilo alio principio extrinseco dependet; ac proinde Deus non accipit scientiam ab obiecto, vel principio extrinseco. Ita S. Thomas cit. q. 14. a. 1. & art. 5. ad 3. ex communi omnium. Probatur. Impossibile enim est, vt Ens primum, & vnde quæque independens, seu in essendo, seu in cognoscendo, ab aliquo dependeat. Et licet hoc in primis quidem verum habeat de obiecto extrinseco, & creato, vt magis patebit dub. seq. tamen vniuersim etiam respectu cuiuslibet obiecti verissimum est, scientiam diuinam propriè ac reipsâ non dependere, vel causari ab vilo principio vel causâ: nec ab ipso quidem Deo; quia vera causalitas & dependentia inter aliqua, distinctionem à parte rei inter ea supponit, aut inuoluit; qualis inter Deum & scientiam diuinam nulla est, vt dictum.

10 Assertio VIII. Scientia Dei propriè ac necessariò est vera: ac proinde Deo triplex conuenit veritas, nimirum in essendo, in cognoscendo, & in dicendo. Ita S. Thomas q. 16. præsertim art. 5. & communis. prior pars patet; quia falsitas est magnus defectus & imperfectio scientiæ, siue intellectus: Ergo in diuinâ scientiâ, quæ vtiq. perfectissima est, locum habere non potest. Plura infra dub. 8. Posterior pars declaratur.

Quia triplex est veritas; prima transcendentalis, seu in essendo, quæ cum Ente recipitur; eiusque passio est; ratione quidem prior bonitate, iuxta S. Thomam, Caietanum cit. q. 16. art. 4. Suarez, & alios communiter, etsi contrarium sentiat Vasquez d. 77. num. 55. Sicut prior est intellectus voluntate: sed ratione tamen posterior ente. Et consistere ex probabiliiori sententiâ videtur hæc veritas, nec in negatione nec in denominatione extrinsecâ ab intellectu cognoscente; nec omninò propriè in vllâ actuali relatione rationis; sed in eius quodam fundamento; quod à nobis concipitur per modum fundamentalis quasi cuiusdam aptitudinis, secundum quam aptum est Ens, eo ipso quod Ens est, ab intellectu quolibet, vt tale, vel tale, verè concipi & iudicari.

Quæ quidem aptitudo nil addit enti reipsâ ab eo distinctum, sed solum ratione ab eo differt, vt susius declarat Suarez hîc lib. 1. cap. 7. num. 8. idemque in simili superius dictum de Bono.

Secunda veritas est in cognoscendo. Tertiâ veritas est moralis in dicendo; quæ est virtus quædam, quam propriè veracitatem dicimus, quæ supponit veritatem in cognoscendo. Et omnis hæc veritas cum sit perfectio simpliciter, propriè & formaliter conuenit Deo, vt patet. Sed de tertiâ agitur in 2. 2. de fide, de secundâ pluribus agetur dub. 8. vbi de qualitate & proprietatibus diuinæ scientiæ tractabitur. Prima commodius quidem à S. Thomâ explicari potuisset superius, vbi egit de cæteris passionibus entis, vno videlicet, & bono, quatenus Deo conueniunt; neque enim verum, vt sic maiorem cum scientiâ & intellectu diuino cognationem habet, quàm bonum cum voluntate: attamen ex occasione, quod veritas quædam, nimirum secundo modo accepta, propria affectio est diuinæ scientiæ, idè omnis de veritate tractatio à S. Thomâ in hunc locum reiecta est. Neque verò præter ea, quæ de modo cognoscendi Deum, eiusque incomprehensibilitate egimus supra q. 6. quod etiam à nonnullis *verum*, vt passio entis est, referri diximus, opus est de passione entis, cum sit metaphysicæ tractationis, pluribus agere: vt nec de falsitate, de quâ agit S. Thomas q. 17. hæc enim veritati contrariè opponitur iuxta eundem S. Thomam ibid. a. 4. ac proinde omnibus modis à Deo remouenda est; eodemque in cæteris modo, seruata proportione, de falsitate ratiocinandum est, vt de veritate diximus.

Assertio IX. Scientia proprium ac peculiare Dei attributum est, sicut & verum in essendo; verum autem in dicendo, & cognoscendo, non tam sunt immediata ac propria attributa ipsius Dei, quam virtutis operatiuæ, seu ipsarum operationum Dei; illud quidem dictionis seu reuelationis & attestationis diuinæ, & principaliter ipsius voluntatis; hoc autem intellectus. Probatur & declaratur. Scientia enim Dei ratione differt ab essentiâ, eidemque secundum rationem nostram quasi superuenit per modum proprietatis: sicut & in rebus creatis cognitio intellectualis intellectuali naturâ reipsâ posterior est. Quare etiam S. Thomas initio q. 14. tam scientiam & intellectum diuinum, quàm voluntatem & potentiam operatiuam ad extra cæteris Dei attributis adnumerat, vt dictum supra initio quæstionis huius; licet Aureolus in 1. d. 3. 5. a. 3. ratus, intelligere in Deo non posse concipi per modum rationis cuiusdam formalis superaddite ad essentiâ, neget scientiam propriè esse attributum Dei, sed absque fundamento, vt quæst. 1. dictum. Eodem modo veritas in essendo, cum non minus sit passio entis, quàm vnum, & bonum; quæ à S. Thoma alijsque Doctoribus inter attributa Dei vtiq. recensentur; attributum etiam quoddam peculiare Dei erit censendum; sed propriè non ad hunc locum pertinens, vbi de attributis Dei agitur spectantibus ad operationem ipsius, vt diximus; sed potius vnicati Dei subiungendum, cum Ens, vnum, verum, bonum sese consequantur. Veritas autem in cognoscendo affectio est & perfectio immediata scientiæ, quâ fit, vt Deus falli non possit; quare etiam in intellectu immediatè hæc

veritas est; at veritas in dicendo, seu veracitas cum sit virtus quædam voluntatis, quæ in homine quidem facit, ut nolit fallere; in Deo etiam, ut non possit fallere, idcirco immediate affectio quædam est & attributum diuinæ voluntatis: sicut & cæteræ virtutes morales, quæ in Deo sunt, quanquam si quis minutè & particulatim omnes perfectiones attributales Dei enumerare velit, adnumeratis videlicet ipsorum etiam attributorum subordinatis perfectionibus, absque incommodo etiam vtramque hanc veritatem inter attributa Dei recensere possit.

## DVBIUM II.

An, & qua ratione Deus cognoscat seipsum, suaque ipsius decreta.

S. Thom. 2. p. q. 14. a. 2. & 3.

**I**nter obiecta diuinæ cognitionis, primum ac principale est Deus ipse, de quo proinde merito ante cætera tractatur.

**A**ssertio I. Deus perfectissimè seipsum intelligit. Ita S. Thomas hic q. 14. a. 2. & communis omnium; & est de fide, ex scripturâ, Matth. 11. v. 27. *Nemo nouit Filium, nisi pater, neq. pater quis nouit, nisi Filius, & c.* Ioan. 10. v. 15. *Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem, 1. Corinth. 2. v. 11. Quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei.* Ratio est. Quia Deus vti maximè est ens, ita maximè intelligibilis est; Ergo vel maximè intelligitur à perfectissimo intellectu, qualis est diuinus intellectus. Accedit, quod vnumquodque eò magis intelligitur, cæteris paribus, quò magis coniunctum est intellectui: nimirum etiam per modum intelligibilis; cum ergo Deus intimè coniunctus sit intellectui; imò idem profusus sit eum ipso, etiam in quantum intelligibilis est (non enim Deus per speciem à se distinctam intelligibilis est, ut mox dicitur, sed per seipsum) Deus seipsum vel maximè intelligit. Quæ ratio etiam indicatur à S. Thoma cit. a. 2.

**A**ssertio II. Deus seipsum non per speciem vel intellectionem à se reipsà distinctam intelligit, sed per seipsum. Ita S. Thomas eod. art. 2. in corp. & ad 2. & communis omnium. Probatur ratione S. Thomæ. Quia Deus nihil potentialitatis habet, sed est purus actus, & omnino simplex: Ergo necesse est, ut in eo, cum seipsum intelligit, intellectus, & id quod intelligitur, atque ipsa etiam intellectio, sint vna simplicissima entitas: ita scilicet, inquit S. Thomas in corp. *ut neq. careat specie intelligibili; sicut intellectus noster, cum intelligit in potentia, neq. species intelligibilis sit aliud à substantiâ intellectus diuini; sicut accidit intellectu nostro, cum est actu intelligens; sed ipsa species intelligibilis est ipse intellectus diuinus, & sic seipsum per seipsum intelligit.* Quare etiam in resp. ad 2. negat, intellectum diuinum, siue se, siue alia intelligendo perfici ab intelligibili, vel assimilari ei, nimirum, propriè ac reipsà: *id enim, inquit, conuenit intellectui, qui quandoq. est in potentia; quia per hoc quod est in potentia, differt ab intelligibili, & assimilatur ei per speciem intelligibilem, quæ est similitudo rei intellectæ, & perficitur per ipsam, sicut potentia per actum.*

Sed quod S. Thomas ipsum intellectum diuinum vocat speciem intelligibilem, respectu intellectionis etiam sui ipsius; quasi Deus seipsum etiam cognoscat per speciem intelligibilem, quæ sit intellectus diuinus, non videtur posituè & propriè intelligendum; species enim intelligibilis rei alicuius propriè distinguitur à re, quæ intelligitur; sed negatiuè, ut sensus sit, Deum non intelligere seipsum per aliam speciem intelligibilem, sed per seipsum. Quod ipsum etiam indicat S. Thomas ibid. resp. ad 3. vbi hoc discrimen constituit inter animam seipsam intelligentem, & inter Deum seipsum intelligentem; quod anima, siue intellectus noster intelligat seipsum per speciem intelligibilem, sicut & alia; quemadmodum etiam ex eo, quod cognoscat intelligibile, intelligit ipsum suum intelligere, & per actum cognoscat potentiam intellectiuam: *Deus autem, inquit, est sicut albus purus, tam in ordine existentiam, quam in ordine intelligibilem, & ideo per seipsum intelligit.* Vbi negare absolute videtur S. Thomas, Deum seipsum cognoscere per speciem intelligibilem; & Caietanus hic artic. 2. existimat, S. Thomam locutum de specie intelligibili generatim, prout commune quid est tam speciei impressæ, quam expressæ; quod tamen vniuersim loquendo non probatur. Quam autem ratione anima cognoscat seipsam, philosophi disputant, & ad præsens institutum non pertinet.

**A**ssertio III. Deus etiam perfectissimè & ab æterno cognoscit sua ipsius decreta, omnesque actus & liberos, & necessarios, tam intellectus, quam voluntatis suæ. Est extra controuersiam, ac de fide, ex citato scripturæ loco, 1. Corinth. 2. vers. 11. *Quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei;* vbi Apostolus præcipuè de actibus diuinæ mentis ac liberis decretis loquitur. Ratio est: Tum quia & hæc sunt cognoscibilia; Ergo à perfectissimo intellectu cognoscuntur. Tum quia idem sunt cum ipsâ substantiâ diuinâ; atque etiam intelligenti Deo intimè coniuncta & præsentia; Ergo non possunt latere, Deum seipsum perfectissimè cognoscentem. Tum quia nos ipsi etiam nostras actus internos cognoscimus: Ergo multò magis Deus.

Quo fit, ut licet Deus respectu suæ intellectionis, propriè & formaliter non habeat actus reflexos, quandoquidem propria actuum reflexio, pluralitatem actuum reipsâ supponit; habeat tamen, quasi virtualiter reflexos; nimirum vnâ simplicissimam cognitionem æquiualem pluribus actibus, directis, & reflexis. Quæ etiam ratio est, cur non detur processus in infinitum in actibus eiusmodi diuinæ cognitionis: quia licet Deus suam etiam cognitionem intelligat, & hoc ipsum etiam cognoscat, se intelligere, non tamen intelligit per cognitionem distinctam, sed per seipsam. Et quamuis ratione nostrâ distinguamus plures eiusmodi intellectiones in Deo, non tamen distinguimus actu infinitas, ut patet.

**A**ssertio IV. Deus ad eò perfectè seipsum intelligit, ut etiam comprehendat. Ita S. Thomas hic q. 14. a. 3. in corp. & ad 2. & communis Doctorum. Probatur duabus rationibus. Primò; quia tunc aliquid dicitur comprehendi, quando peruenitur ad finem cognitionis ipsius; seu quando res cognoscitur

ita per-

ita perfectè, sicut cognoscibilis est: Deus autem utique tam perfectè seipsum cognoscit, quam perfectè cognoscibilis est; non enim minor est virtus Dei in cognoscendo, quam perfectio in essendo; Ergo Deus seipsum comprehendit. Secundò iuxta S. Augustinum epist. 112. ad Paulinum cap. 9. *Totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil eius lateat videntem: sed nihil est in Deo, quod lateat ipsum.* Ergo, &c.

4 Ex his duabus rationibus, prior planè procedit & desumitur à ratione formali comprehensionis, iuxta ea, quæ supra q. 6. dub. 6. docuimus. Posterior autem ratio, etsi non sumatur à formali conceptu comprehensionis, ut ibidem dictum, sumitur tamen à signo, ac cyclat à posteriori, saltem iuxta ordinariam Dei legem; loquendo nimirum de omnibus, quæ & formaliter, & eminenter sunt in Deo. Licet enim controuersum sit, an secundum absolutam Dei potentiam à creato intellectu videri in Deo possint omnia, quæ in ipso sunt formaliter & eminenter, satis tamen certum est, reipsa à nullo ita videri, præterquam ab ipso Deo seipsum comprehendente; adeo ut nec consentaneum sit naturis rerum, omnia videre seu cognoscere, quæ in aliqua re formaliter & eminenter continentur, nisi res illa tam perfectè cognoscatur, quam cognoscibilis est, adeoque comprehendatur; ut proinde non malè S. Thomas hinc etiam argumentum sumat ad probandum, Deum seipsum comprehendere. Non loqui autem hic S. Thomam de ijs solum, quæ in Deo formaliter insunt, patet ex eius questione 12. a. 8. & citato loco satis probatum est; cum Beati omnes videant utique in Deo omnia, quæ formaliter in ipso sunt, licet eum interim ipsi minimè comprehendant, ut loc. cit. diximus. Vbi simul tamen exposuimus, quænam sit verà mens S. Augustini eo loco, quem S. Thomas hic allegat; vnde patet, loqui ipsum de alia quadam ratione comprehensionis, quam non negat Beatis, sed solum viatoribus profectum huius vitæ.

5 Assertio V. Quando Deus seipsum dicitur comprehendere, locutio hæc non est omnino proprie & strictè accipienda, sed late & improprie. Ita S. Thomas hic cit. q. 14. a. 3. ad 1. Probatur. Quia ut aliquid ab aliquo proprie comprehendatur, requiritur inter ea ipsa à parte rei distinctio; comprehendere enim significat aliquid habens, & includens alterum: quare etiam necesse est, ut omne comprehensum sit finitum; sicut omne inclusum est finitum. In quem sensum etiam S. Augustinus lib. 83. qq. q. 14. ait, *id quod comprehendit se, finitum esse sibi.* Intellectus autem Dei non est aliquid reipsa distinctum à Deo; nec Deus finitur & includitur comprehensione suâ; Ergo, &c.

Quare huiusmodi locutiones, inquit S. Thomas ibid. per negationem sunt exponende. Sicut enim Deus dicitur esse in seipso, quia à nullo exteriori continetur; ita dicitur comprehendere seipsum, quia nihil est sui, quod lateat ipsum; siue potius, quia perfectio eius in essendo, siue ipsa eius cognoscibilitas, non excedit perfectionem eius in cognoscendo. Et cum iuxta S. Augustini citatum dictum dicitur, Deum esse sibi finitum, intelligendum est, inquit S. Thomas, secundum quandam similitudinem proportionis; quia sic se habet in non excedendo intellectum suum, sicut se habet aliquid finitum in non excedendo intellectum finitum. Non autem

sic dicitur Deus sibi finitus, quod ipse intelligat, se esse aliquid finitum. Hæc S. Thomas.

### DVBIVM III.

*An, & qua ratione generat in loquendo, Deus cognoscat alia à se, siue creaturas; in seipso, an in seipsis?*

S. Thomas 1. p. q. 14. a. 5. 6. & 11.

**L**oquimur hic de rebus extra Deum, siue de rebus creatis indefinitè, abstrahendo in particulari, quasnam creaturas Deus cognoscat: hoc enim sequentibus dubitationibus fit manifestum.

Assertio I. Deus cognoscit etiam alia à se, adeoque creaturas. Ita S. Thomas q. 14. a. 5. omnesque Theologi in 1. d. 3. 5. & est de fide, ex multis scripturæ locis. In præsentibus sufficit ille Hebr. 4. v. 13. *Non est ulla creatura inuisibilis in conspectu eius. Omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius.* Ratio est. Tum quia scientia Dei est infinita: ergo cognoscit omne cognoscibile. Tum quia Deus creaturas suo arbitratu producit & gubernat, tanquam agens nimirum intellectuale: Ergo eas etiam cognoscit. Tum quia Deus perfectè cognoscit seipsum, ac proinde etiam virtutem suam operatiuam: sed virtus alicuius rei perfectè & adæquatè cognosci non potest, nisi cognoscantur ea, ad quæ virtus se extendit: ergo cum virtus diuina se extendat ad alia extra se, eò quod ipsa est prima causa effectiua omnium entium, necessariò fatendum est, Deum etiam alia extra se cognoscere. Quæ est ratio S. Thomæ cit. art. 5.

Assertio II. Deus cognoscit creaturas, non solum secundum Esse, quòd in Deo habent, sed etiam secundum suum esse proprium. Ita S. Thomas, cæteri que Theologi locis citatis; & est extra controuersiam; ac de fide; idemque probatur adducta scriptura & rationibus. Deus enim creaturas producit non secundum Esse, quòd in ipso Deo habent; neque adeo etiam virtus Dei productiua extendit se ad creaturas, secundum illud Esse, quòd in Deo habent, sed secundum esse proprium.

Et referunt quidem Capreolus in 1. d. 3. q. 2. & Aquarius ibid. ac refellunt Aureolum, quasi dixerit, scientiam diuinam non terminari ad creaturas secundum esse proprium. Sed reuera Aureolus 1. d. 3. p. 2. a. 4. non videtur aliud velle, quam Deum non cognoscere res creatas in se, sed in Deo, ut inferior etiam cum S. Thoma & communi dicemus. Fateor tamen, eundem ibid. art. 1. & part. 3. a. 1. dum explicat & defendit Auerroem dubiè & obscure locutum; quasi nihil aliud præter ipsum Deum terminet intuitum diuinæ scientiæ: cum tamen interim idem Aureolus simul eadem distinct. 3. p. 4. a. 2. refellat Auicennam, Auerroem, & Aristotelem, quod negarint, Deum distinctè cognoscere singularia, ut in loquendi modo potius, quam reipsa videatur errasse Aureolus; de qua re plura assert. 8.

Assertio III. Deus cognoscit creaturas distinctè, & propriè cognitione. Ita S. Thomas hic q. 14. art. 6.

aliqui Doctores cum Magistro loc cit. & est de fide-  
tum ex alijs Scripturæ locis, tum ex illo Psalm. 32. v.  
35. *Qui fingit sigillatim cord. eorum; qui intelligit omnia  
opera eorum.* Ratio itidem est evidens. Tum quia a-  
lias scientia Dei non esset infinita; non enim perspi-  
cua & distincte cognosceret omne intelligibile.  
Tum quia Deus sigillatim omnibus rebus providet,  
vt disp. seq. dicitur. Tum quia creaturæ sunt & emi-  
nenter existunt in Deo, non tantum secundum com-  
munem rationem entis, in qua omnes creaturæ con-  
veniunt, sed etiam secundum suum esse proprium,  
per quod à se invicem distinguuntur. Ergo cum  
Deus seipsum, & omnem illam virtutem, seu conti-  
nentiam eminentiorem perfectissime cognoscat, fie-  
ri non potest, quin Deus cognoscat creaturas distin-  
cte & secundum esse proprium ac particulare, adeo-  
que propria cognitione.

Vnde etiam efficitur, Deum cognoscere singula-  
ria, vt docet S. Thomas hic q. 14. a. 11. ex Aristotele  
lib. 1. de an. text. 80. & lib. 3. metaph. text. 15. idque  
inde etiam recte probat, quod Deus suam scientiã  
efficiat & producat singularia. Quocirca vt bene et-  
iam notavit idem eod. art. 6. errant illi, qui dixe-  
runt, Deum alia se non cognoscere, nisi in com-  
muni, scilicet in quantum sunt entia. In quo errore  
videtur fuisse Averroes lib. 12. metaph. comment.  
51. & in opus. distinct. vbi negat Deo distinctam cog-  
nitionem suorum operum. Fauet eidem errori A-  
ristoteles lib. 12. metaph. sum. 2. cap. 4. text. 51. ita  
non solum ab Averroes, & quibusdam philosophis,  
sed etiam à scriptoribus ecclesiasticis, & Theologis  
quibusdam intellectus; licet vtunque in meliorem  
sensum explicare contentur. Ferrariensis lib. 1. cont.  
gent. cap. 50. & alij. Male etiam Ockam, & Gabriel  
in 1. dist. 35. dixerunt, hanc assertionem probabili  
solum, non autem evidenti ratione posse probari.

Sed obijcitur obscurus quidam locus S. Hiero-  
nymi in illud Abacuc 1. *Mundi sunt oculi, ne videas  
malum, vbi ait: Caterum absurdum est, ad hoc Dei dedu-  
cere maiestatem, vt sciat per momenta singula, quot na-  
scantur culices, quotve moriantur, que cinicum, pulicum,  
& muscarum sit in terra multitudo; quanti pisces in aqua  
nascantur; & qui de minoribus maiorum præda cedere de-  
beant. Non sumus tam fatui adulescentes Dei, vt dum poten-  
tiam eius etiam ad ima detrahimus, in nosmetipsos inu-  
riosisimus; eandem rationabilium, quam irrationabilium  
providentiam dicentes. Ex quo liber ille apocryphus stulti-  
tia e condemandus est, in quo scriptum est, quendam An-  
gelum nomine Tyri præesse reptilibus, & in hanc simili-  
tudinem pisces quoque, & arboribus, & bestijs universis  
propriis in custodiam Angelos assignatos.*

Respondet cum Magistro in 1. dist. 36. c. 4. Hu-  
gone de S. Victore in sum. sent. tract. 1. cap. 12. item  
cum Gregor. de Valentia hic q. 14. p. 4. & Suarez lib.  
3. cap. 3. S. Hieronymum minime in eo errore fuisse,  
vt negaret, hæc omnia à Deo distincte quouis modo  
cognosci; sed loquitur de scientiã practica peculia-  
ris providentiæ diuinæ, quæ ex se ipse, & ante provi-  
sionem causarum secundarum, certum, & peculia-  
rem numerum, atque etiam indiuiduas rationes sin-  
gularum eiusmodi animalculorum ab æterno præ-  
finierit, atque etiam de singulis peculiarem curam  
habeat, vt de hominibus præsertim electis habet; iux-  
ta ea, quæ de hac re disserit S. Thomas hic q. 22. a. 2.

& q. 23. a. 7. in quem modum etiam loquitur Apo-  
stolus 1. Cor. 9. *Nunquid Deo cura est de bobus?*

Hanc esse mentem S. Hieronymi, patet tum ex ci-  
tatis eius verbis, eandem rationabiliam, quam irrationa-  
bilium, & c. tum ex ijs, quæ ibidem præmiserat: *In ce-  
teris animalibus generalem quidem Dei dispositionem, &  
ordinem cursuum rerum intelligere possumus: v. g. quo-  
modo nascatur piscium multitudo, & vivat in aquis;  
quomodo reptilia & quadrupedia oriantur in terra, &  
quibus alantur cibus.* Præterquam quod idem S. Do-  
ctor in c. 10. Matth. aperte Catholicam sententiam  
tradit: sic enim in illa verba: *Nonne duo passeret asse ve-  
neunt, & c. ait: si parva animalia absq. Deo auctore non  
decidunt, & in omnibus semper est providentia, & quæ  
in his peritura sunt, sine Dei voluntate non pereunt, vos  
qui æterni estis, non timere debetis, quod absq. Dei vivatis  
providentia?* Neque hanc expositionem bene refellit  
Vasquez hic q. 14. a. 6. qui frustra suspitione erroris  
in supradicto loco S. Hieronymi fouet. Simili modo,  
quod pro absurdo refert S. Hieronymus, plantis &  
brutis Angelos custodes præesse, intelligendū de sin-  
gulis custodibus singulis eiusmodi rerum indiuiduis  
præpositis, vt in hominib. accidit: singulis enim spe-  
ciebus rerum Angelos à Deo præpositos non est ab-  
surdum dicere, vt suo loco docetur de Angelis in fine.

Assertio IV. Cognitione hæc diuina creaturarum  
non specificatur, nec dependet villo modo à rebus  
creatis. Ita S. Thomas q. 14. a. 5. ad 3. & communis  
Doctorum; qui propterea etiam notant, obiectū ad  
cognitionem creatam dupliciter comparari: primò vt  
præcisè terminū, in quem tendit & fertur cognitio,  
& hoc etiã obiectis creatis respectu diuinæ scientiæ  
conuenit: secundò vt causam, principium, & motiuum  
ipsius cognitionis; quatenus videl. mediãtè aut im-  
mediãtè speciè sui ad potentiam cognoscentè trans-  
mittit, per quã fit, & causatur intellectio; aut certè per  
seipsum immediãtè concurrat ad cognitionem; & hoc  
obiectis creatis respectu diuinæ scientiæ minimè con-  
uenit. Ratio est. Quia cognoscere Dei est ipsum esse,  
ipsaq. substantia Dei: implicat. a. contradictionem, vt  
substantia siue esse Dei, ab vlla creatura re depēdeat. quã  
ratione etiã relatio transcendētalis ad creaturas à diui-  
na cognitione excluditur, vt supra vniuersim dictū.

Addit S. Thomas cit. a. 5. ad 3. ipsum intelligere di-  
uinum non specificari per aliud, quàm per essentiam diui-  
nam: quod non est ita intelligendū, quasi propriè per  
essentiam diuinã specificetur; sicut enim propriè ab  
ea non dependet, ita etiã ab ea propriè non specifica-  
tur; præsertim quando propriè non est in vlla species  
sed sensus est, rationem ipsius, & essentiam à parte  
rei eandem esse cum essentia diuina.

Assertio V. Deus non cognoscit creaturas in ipsis  
creaturis, velut medio cognoscēdi; sed immediãtè in  
seipso. Ita sentit S. Thomas a. 5. & 6. Neq. est sub his  
terminis vlla inter Doctores cōtrouersia. Neq. enim  
illi, qui dicūt, Deū cognoscere creaturas in seipsis, di-  
cunt cognoscere in seipsis velut medio cognitionis;  
neq. negant etiã, cognoscere in seipsis aliquo modo.  
Probat ex præced. assert. Cum n. diuina scientia sit  
planè independens à creaturis, non possunt creaturæ  
esse medium, seu principium diuinæ cognitionis, vnde  
sequitur, Deū cognoscere creaturas absq. alio medio  
adeoq. per seipsū, ac in seipso immediãtè, vt mox expli-  
cabitur. Eadem est doctrina S. Dionysij, vt dicitur.

Et confirmatur. Quia ad hoc, ut creaturæ à Deo cognoscantur, necesse est, eas ipsi representari: aut ergo à seipsis representantur diuino intellectui, aut ab essentia diuina. Non primum; tum quia ita scientia diuina dependeret à rebus creatis, contra dicta assert. 4. Tum quia se prius representare verà aliquā causalitate non possunt, quam sint; representatio enim obiecti propria ad causam efficientem pertinet; Dei autem cognitio æterna est, & earum etiam rerum, quæ nunquam sunt, ut dicitur: Ergo fatendum est, representari eas ab ipsa essentia diuina, non in seipsis, tanquam ratione mediā cognoscendi.

Assertio V I, Deus cognoscit quidem creaturas in seipso, ut in verbo mentis, seu specie expressā creaturarum: sed cognitione quasi reflexā, non directā. Prima pars est extra controuersiam. Omnes enim concedunt, Deum non minus, quàm alium quemlibet cognoscentem, in suamet cognitione, siue in suo verbo mentis, cognoscere aliquo modo obiectum ipsum talis cognitionis, seu verbi. Vnde cum Deus sit sua cognitio, suumque verbum, quo cognoscuntur, seu representantur creaturæ; non potest negari, Deum in seipso, velut in verbo, seu specie expressā creaturarum, cognoscere aliquo modo creaturas.

7 Secunda pars est contra quosdam recentiores, quibus nonnihil fauet Vasquez hic disput. 60 cap. 3. qui ut defendant, Deum aliquo etiam modo cognoscere creaturas in seipso, uti S. Dionysius, & communis Doctorum sententia habet, dicunt, Deum cognoscere creaturas in seipso, ut in Verbo mentis, seu specie expressā creaturarum; eò ipso, quod Deus est ipsamet species expressā, seu Verbum mentis, adeoque suamet cognitio, quæ creaturas directè cognoscit in seipsis. Neque enim aliud esse, Deum cognoscere creaturas in seipso, quàm cognoscere eas in sua cognitione, tanquam actuali specie expressā, quæ illas actu cognititas representat. Eademque ratione, concedunt, Deum etiam cognoscere creaturas possibili in sua ideā, cum idea in Deo sit ipse conceptus diuinae mentis, seu species expressā creaturarum possibilem. Vbi semper isti de cognitione directā creaturarum in Verbo loqui videntur: quod ob aliam etiam causam ita necessariò sentire debent, eo quod vniuersim negant, Deum cognoscere creaturas in seipso velut medio cognito, ut inferius dicemus; cum tamen reflexa cognitione in Verbo mentis, seu ipsa cognitione mentali, cognoscat nihil possit, nisi ut in medio cognito.

2 Nostra verò sententia videtur ex mente Doctorum, qui dicunt, Deum cognoscere creaturas in seipso velut specie expressā, seu Verbo mentis, siue in cognitione ipsa creaturarum; ut fustius declarat Suarez hic lib. 3. cap. 2. num. 17. & fauet ex parte Vasquez disp. 60. cap. 3. num. 9. ubi ait: *Deum creaturas cognoscere in seipso prius cognito; non quidem primo cognito solum tanquam obiecto primario, & causa; sed tanquam verbo, quod est etiam creaturarum Verbum, earum representans: certè cognoscere Deum creaturas in se ut Verbo prius cognito, est cognoscere creaturas in Verbo quasi reflexè, non directè.*

8 Sed, quicquid sit de mente Vasquij, probatur hæc pars assertionis. Quia cognoscere creaturas directè per diuinam essentiam, ut Verbum, seu cognitio-

nem creaturarum, propriè loquendo, non est cognoscere creaturas in Verbo, seu in cognitione creaturarum; sed cognoscere creaturas Verbo, seu cognitione creaturarum. Neque enim si quis sua cognitione directè cognoscat aliquid, dicitur illud cognoscere in sua cognitione, sed sua cognitione. Sic ergo etiam Deus directè cognoscens creaturas per seipsum, tanquam Verbum & cognitionem creaturarum, non rectè & propriè dicitur cognoscere illas in seipso veluti in Verbo & cognitione creaturarum. Et ratio est. Quia vocula in in eiusmodi locutione significat medium inter cognitionem & cognoscentem; ipsa autem directè cognitionem rei alicuius, respectu sui ipsius, non est vlllo modo mediā; neque secundum rationem quidem, ut patet.

E contrario verò tamen in Deo nulla sit à parte rei distinctio & pluralitas actuum; quæ de causa etiam in Deo propriè locum non habet cognitio reflexa; quod solum probat Aureolus in 1. d. 3. 5. part. 2. a. 1. tamen quia Deus vno à parte rei, & eodem actu, non solum cognoscit obiectum cognitionis, sed etiam ipsam eius obiecti cognitionem; fit, ut ratione nostra posterior hæc cognitio sit quasi reflexa; quo tamen ipso cognitio & notitia creaturæ directæ, simul etiam ratione nostra; ratio quasi quædam, ac medium est, denuo quasi, ac reflexè cognoscendi ipsum obiectum eiusdem notitiæ: quandoquidem commune est omni cognitioni reflexæ, quæ quis suummet conceptum reflexè cognoscit, ut eā simul etiam cognoscatur ipsum obiectum talis notitiæ, iam antea directè cognitum. Deus ergo in seipso veluti Verbo & cognitione creaturarum cognoscens creaturas, si propriè loquamur, non cognoscit illas, ut sic, directæ cognitione, sed quasi reflexa.

10 Assertio V II, Deus cognoscit creaturas in seipso, non solum ut in Verbo mentis, seu specie expressā, siue ut in ipsa cognitione creaturarum; sed etiam aliā ratione. Hæc est communis sententia S. Thomæ hic q. 14. a. 1. & lib. 1. cont. gent. cap. 53. & communis Doctorum, ut patebit assert. seq. contra recentiores illos præcedente assertionem memoratos; qui hunc solum modum agnoscunt, quo Deus cognoscat creaturas in seipso. Probatum duabus rationibus. Prima. Quia Deus cognoscit creaturas in seipso directæ cognitione, non solum reflexa: sed cognitio; quæ Deus cognoscit creaturas in seipso tanquam Verbo, non est cognitio directæ, sed quasi reflexa: Ergo datur alia cognitio, quæ Deus cognoscit creaturas in seipso, quam ut in Verbo. Secundam propositionem probauimus assert. præcedente. Primam admittunt illi, contra quos disputamus; & hæc etiam ratione probamus. Quia cognitio illa creaturarum in Deo quasi reflexa, supponit ratione prius cognitionem earundem creaturarum in ipso directam: non enim Deus haberet cognitionem creaturarum in se, tanquam Verbo, quasi reflexam, nisi illud ipsum Verbum, seu species expressā esset cognitio creaturarum in Deo quasi directæ.

11 Altera ratio est. Quia cum Deus non cognoscat creaturas in ipsis creaturis; velut medio cognoscendi, ut dictum assert. 5. idcirco præter vim cognoscitiuam, & ipsam cognitionem creaturarum in Deo, assignari debet aliquid, quod ex parte obiecti sit ra-



tio, & quasi medium cognoscendi creaturas; in quo proinde Deus etiam creaturas cognoscat: sed Verbum mentis seu species expressa non est ex parte obiecti ratio, & quasi medium, in quo Deus cognoscit creaturas, saltem loquendo de directa cognitione creaturarum, ut dictum: multo minus est aliquid distinctum ab ipsa cognitione creaturarum: Ergo præter Verbum mentis, & speciem expressam creaturarum, assignandum est aliquid aliud (ratione scilicet distinctum) in ipso Deo; in quo Deus directe cognoscat creaturas, velut medio & ratione cognoscendi. Maior patet; quia ad cognoscendum aliquid tria requiruntur; quorum singula in suo genere ratio quædam esse possunt cognoscendi: primum est vis cognoscitivæ ex parte cognoscentis; secundum est obiectum, tam per modum termini, quam per modum principij representativi per seipsum, aut mediante specie concurrens ad intellectum; aut certe aliud quippiam ex parte obiecti eiusmodi concursum sustinens; tertium est ipsa intellectio, seu Verbum mentis, siue ipsa species expressa, tanquam ratio formalis cognoscendi: Cum ergo hæc tria in omni intellectu & cognitione necessaria sint, certe etiam in divina creaturarum cognitione suo modo requirentur; non ita quidem, ut creatura ipsa causalitatem obiecti in cognitione divina exerceat: hoc enim impossibile est, ut dictum assert. 1. sed ut in ipso Deo sit aliquid, quod ita ex parte obiecti concurrat, adeoque concursum obiecti creati suppleat. Minor declaratur. Quia Verbum mentis, & species expressa creaturarum, est ipsa cognitio creaturarum in esse completo; cognitio autem non est medium & ratio, ex parte obiecti, cognoscendi obiectum, saltem directe; sed supponit obiectum & concursum ex parte obiecti. Ergo nec Verbum mentis seu species expressa creaturarum, est ex parte obiecti ratio, & quasi medium, in quo Deus cognoscit creaturas, saltem loquendo de directa cognitione creaturarum, de qua etiam auctores isti in primis loquuntur; ac proinde præter Verbum mentis, & speciem expressam creaturarum, assignandum est in Deo aliquid aliud (ratione scilicet distinctum) in quo Deus directe cognoscat creaturas, velut, iuxta nostrum intelligendi modum, in ratione & medio cognoscendi.

Assertio VIII. Deus cognoscit creaturas in seipso, tanquam in obiecto principali, & medio cognito, tum per modum Verbi ac ideæ creaturarum, tum per modum causæ eminentissimæ continentis omnes omnium rerum perfectiones. Non dico creaturas secundum omnem modum & statum sufficienter intelligi à Deo, quovis istorum modorum; hoc enim falsum esse dubitationibus sequentibus patebit, sed indefinite loquor; ac præsertim de creaturis secundum esse possibile. Ac prima pars, Deum cognoscere creaturas aliquo modo in seipso, velut obiecto principali, & medio cognito, est communis Doctorum, quos pro secunda & tertia parte adducemus: tamen si contrarium asserant Gabriel in 1. d. 3. q. 2. Occam d. 3. q. 3. quos sequuntur nonnulli recentiores, post Vasquium disp. 60. cap. 2. qui tamen hæc de re obscure & ambigüe locutus est, ut dictum assert. 6. Faut eidem sententiæ Scotus in 1. d. 3. q. 1. et si Gregorius de Valentia, & Molina infra existiment, eum in re non differre à S. Thoma.

Refertur etiam pro eadem sententiâ Aureolus ex Capreolo distinct. 3. q. 2. artic. 1. cum istamen longè aliter senserit; videlicet Deum non solum non cognoscere creaturas in seipso, velut obiecto & medio prius cognito; sed nec scientiam Dei terminati formaliter ad ipsas in se creaturas, sed solum eminenter: tantum abest, ut sentiat, Deum cognoscere creaturas in seipsis, & non in seipso. Sic enim ait in 1. distinct. 3. q. 2. artic. 2. *Deum intelligere creaturas, &c. sub uno quidem sensu concedi potest; sub alio vero non potest. si enim queratur, an Deus sic intelligat creaturam, quod intuitum ferat super essentiam, & ex hoc procedat ulterius, usq. ad creaturam; ita quod sint duo intuitus, Deus & creatura, &c. sic nullo modo concedi potest, quod Deus intelligat creaturas, &c. si vero queratur, an sic intelligat creaturas Deus, quod intuitum terminet ad essentiam ibi sistendo, nec ulterius procedendo; sic tamen, quod ibi sistendo, dicatur attingisse eminenter, & plusquam æquipollenter omne aliud extra se, & omnem creaturam, &c. sic concedi oportet, quod Deus non ignorat, imò perfectissime & supereminenter novit omnem creaturam, & omne aliud extra se, &c.*

Ratio nostræ sententiæ generalis est, quia talis cognitio creaturarum in Deo, nec impossibilis est, nec ullam includit imperfectionem, ut in simili dictum supra quæst. 6. dub. 8. & 9. & magis patebit ex probatione secundæ & tertiæ partis.

Secunda pars, Deum cognoscere creaturas in se, tanquam obiecto & medio cognito, per modum Verbi, & ideæ creaturarum, patet ex dictis assert. 6. ubi etiam declaravimus, hanc cognitionem in seipso, tanquam in Verbo mentali, & specie expressa creaturarum, esse quasi reflexam. Eadem est ratio ideæ; cum & ideæ in Deo nihil aliud sit, quam conceptus mentalis, ad cuius similitudinem & imitationem fieri aliquid potest, ut quæst. 2. patebit. Unde tamen hoc ipsum discrimen nascitur, inter speciem expressam Dei generatim acceptam, & inter ideam; quod cum hæc non sit nisi rerum possibile; illa vero rerum quarumlibet creaturarum, secundum omnem modum & conditionem, idcirco Deus in se, ut in ideæ, non intelligat nisi res possibles; in se vero ut specie expressa, res quaslibet, etiam existentes ut sic.

Tertia pars, cognoscere Deum creaturas in se, veluti causam, &c. est expressa & constans doctrina S. Thomæ in pluribus locis, quicquid refrageretur Vasquez disput. 60. num. 10. Sic enim docet hic quæst. 12. artic. 8. ubi ait: *Manifestum est, quod scilicet qua videntur in Deo, secundum quod sunt in ipso: omnia autem alia sunt in Deo, sicut effectus sunt virtute in sua causa. Sic igitur videntur omnia in Deo, sicut effectus in sua causa. sed manifestum est, quod quanto aliqua causa perfectius videtur, tanto plures eius effectus in ipsa videri possunt, &c. Ille igitur intellectus potest in causa cognoscere omnes causas effectus, & omnes rationes effectuum, qui causam totaliter comprehendit; nimirum Deus, uti docet idem S. Thomas quæst. 14. artic. 3. Idem docet hic cit. quæst. 14. artic. 6. ubi ita concludit: *Sic igitur cum essentia Dei habeat in se, quicquid perfectissime habet essentia cuiuscumque rei alterius, & adhuc amplius, Deus in seipso potest omnia propria cognitione cognoscere. Et ibidem ad 1.**

ait: Sic igitur dicendum est, quod Deus non solum cognoscit res esse in seipso, sed per id, quod in seipso continet res, cognoscit eas in propria natura; & tanto perfectius, quanto perfectius est unumquodque in ipso. Sentit igitur S. Thomas, Deum cognoscere creata omnia in seipso, quatenus in seipso eminenter continet omnia; quod est esse causam in actu primo.

Quod ipsum apertius declarat lib. I. contra gent. cap. 49. ubi ait: Ex hoc, quod Deus seipsum cognoscit primo & per se, quod alia a seipso cognoscit eum ponere oportet. Effectus enim cognitio sufficienter habetur per cognitionem sua causa. Unde scire dicimur unumquodque, cum causam eius cognoscimus. Ipse autem Deus est per suam essentiam causa essendi alijs; cum igitur suam essentiam planissime cognoscit, oportet ponere, quod etiam alia cognoscit.

Eodemque modo & sensu S. Thomam intelligunt; & sequuntur Capreolus in I. distinct. 35. quæst. 2. art. 1. Caietanus hic quæst. 14. art. 6. Ferrarientis cit. I. contra gent. cap. 49. Gregorius de Valentia hic quæst. 14. p. 3. Molina art. 5. & 6. dispnt. 7. Suarez lib. 3. cap. 2. num. 3. & moderni Thomistæ omnes hic quæst. 14. art. 5. & 6. Ex antiquioribus verò præter S. Thomam, eandem sententiam indicant Alensis 1. part. quæst. 23. in 2. art. 1. Henricus quodlib. 9. quæst. 2. Egidius in I. distinct. 35. quæst. 3. & aperte docent Argentina ibidem q. 1. & Durandus in I. dist. 35. q. 2. v. merito hæc sententia communis dici possit.

16 Probatur primò autoritate S. Dionysij, qui eam expresse etiam tradit cap. 7. de diuin. nomina. ubi ait: Nec enim ea, quæ sunt, ex his, quæ sunt, discens nouit diuina mens; sed ex se, & in se per causam rerum omnium cognitionem, scientiam, essentiam, anticipatam, & ante comprehensam habet: non quod per speciem singula consideret; sed quod vno casu complexu omnia sciat & contineat: quemadmodum etiam lux per causam in se tenebrarum notitiam anticipatam & informatam habet; quod non aliunde, quam ex luce tenebras norit. Seipsum ergo noscens diuina sapientia nouit omnia, sine materia ea, quæ ex materia constant sine diuisione ea, quæ diuina sunt simul coniuucte; dum ipso vno omnia & noscit, & procreat. Si enim causa vna Deus rebus omnibus statum largitur, eadem etiam causa vna omnia, vt à se profecta, & in se ante constantia cognoscet: nec ab his, quæ sunt, ipsorum notitiam accipiet; sed & singulis suis, & alijs aliorum notitiam impartiet. Non igitur propriam sui notitiam Deus habet, aliam autem, quæ communiter & generaliter ea, quæ sunt omnia comprehendit. Ipsa enim seipsam omnium causa noscens, nullo prorsus modo ea, quæ à se profecta sunt, & quorum causa est, ignorabit. Hæc ergo Deus ea, quæ sunt noscit, non rerum (in se nimirum) notitiam, sed sui. Qui locus, quod ad præsens institutum pertinet, clarior est, quam vt in alium sensum trahi se patiat: præsertim quando à S. Thoma, & ab omnibus S. Dionysij Interpretibus, alijsque Theologis, ante Valsquium ad eundem planè modum fuit intellectus. Eodem spectat, quod S. Dionysius mox ibidem de Angelis subiungit: Etenim Angelos quoque scripta diuina ea, quæ in terra sunt, scire tradunt; non quod ea sensibus noscant, (nempe à sensibus, aut rebus sensibilibus sumendo cognitionem) etsi (obiecta illa cognita) sub sensum cadant; sed mentis sua diuinam speciem præferentis vi atque natura. Quæ similitudo in hoc consistit, quod sicut

Angelis ratio cognoscendi res sensibiles, non sunt sensus aut res ipsæ sensibiles per se mouentes intellectum Angeli, sed species Angelis diuinitus inditæ; ita etiam ratio obiectiua cognoscendi creaturas in Deo, est ipsa diuina essentia.

Secundo accedit ratio. Nam commune hoc est cognitioni intellectuali; vt ex causa, siue in causa cognita cognoscatur effectus; & quo melius cognoscitur causa, quoque causa ipsa perfectius continet effectum, eo etiam perfectius in causa cognoscitur effectus: Cum ergo Deus & eminentissime contineat omnes perfectiones creatas; sequè ipsum veluti earum causam eminentissime ac perfectissime cognoscit; fieri non potest, quin in seipso etiam veluti in causa perfectissime, adeoque etiam inuitiua cognitione (quantum fert conditio obiecti cogniti) creaturas ac perfectiones creatas conspiciat.

Atque hoc est, quod dicit S. Thomas hic q. 14. a. 6. in corp. Cum Deus in se omnes perfectiones contineat, comparatur Dei essentia ad omnes rerum essentias; non sicut commune ad propria; vt vnus ad numeros, vel centrum ad lineas; sed sicut perfectus actus ad imperfectos; vt sciderem, homo ad animal; vel senarius, qui est numerus perfectus, ad imperfectos sub ipso contentos. Manifestum est autem, quod per actum perfectum cognosci possunt actus imperfecti, non solum in communi, sed etiam propria cognitione. Sicut qui cognoscit hominem, cognoscit animal propria cognitione; & qui cognoscit senarium, cognoscit trimarium propria cognitione. Sic igitur cum essentia Dei habeat in se, quicquid perfectionis habet essentia cuiuscumque rei alterius, & adhuc amplius, Deus in seipso potest omnia propria cognitione cognoscere, &c.

18 Obijciuntur contra hanc doctrinam tria. Primum Deus reipsa nullam habet relationem ad creaturas: Ergo non potest esse ratio per modum cause ac medij cogniti cognoscendi creaturas. II. In Deo non continentur creaturæ formaliter secundum suum proprium esse: Ergo non possunt in ipso veluti medio cogniti illa cognosci. III. Ex hæc sententia sequitur omnipotentiam Dei esse rationem cognoscendi creaturas; quod videtur absurdum.

Ad primum responderet, negando e consequentiam. Rationem negationis iam supra q. 6. dub. 8. assignauimus: quia minus est, esse rationem cognitionis creaturarum, quam causam realem existentie earundem; cum ergo Deus, quantumuis in se absolutissimum Ens, sine villo respectu reali ad creaturas, possit realiter causare existentiam actualem creaturarum, multo magis poterit sibi esse ratio, per modum medij cogniti, cognitionis earundem. Quibus addo, si quid hoc argumentum probaret, probaturum etiam, Deum nullo modo sibi rationem esse posse cognoscendi creaturas, nec per modum quidè formalis cognitionis earundem; cum aliqui cognitio actualis obiecti alicuius, multo realior, vt ita dicam, magisque necessaria habitudinem habeat ad obiectum cognitum, quam id quod est medium cognoscendi.

Ad secundum responderet, itidem negando consequentiam; satis enim est, quod creaturæ secundum Esse suum proprium in Deo continentur eminentissimo modo; & vt loquitur S. Thomas, velut actus imperfectus in actu perfecto; quando nec in specie visibili, nec intelligibili creata, obiectum formaliter continetur, quod per eam cognoscitur.

In quem

In quem sensum etiam Scotus in 1. dist. 35. quæst. 1. resp. ad argum. ait; quod eadem ratio intelligendi illimitata, potest esse propria ratio intelligendi quodcumque eorum, ad quæ est illimitata; sicut si esset limitata ad aliud (sive illud) solum: & maxime ratione istius actus, qui est intelligere, in quo non semper requiritur uniuoca ratio, vel assimilatio cum cognito: alioquin nihil posset cognosci per causam; nec conclusio per principium; sed sufficit ratio eminentior continens perfecte similitudinem virtuales cognitæ. Ita Scotus.

Ad tertium Suarez loco cit. admittit sequela, negat minorem. Ego vero etiam nego sequelam; saltem loquendo de primaria & illimitata ratione cognoscendi creaturas in essentia diuina velut causa: quia aliud est, Deum eminentissime continere, omnes perfectiones omnium creaturarum; quod est esse causam in proposito, nempe radicaliter: aliud habere vim quasi per modum executiue potentie operandi omnia. Illud formaliter pertinet ad infinitatem seu perfectionem essentia diuinæ; iuxta dicta superius; hoc distinctum ab ea attributum constituit, & est quedam perfectio, iuxta nostrum modum intelligendi, non solum superaddita essentia, sed etiam infinitate illa ac perfectione eiusdem posterior. Cætera videri possunt superius cit. quæst. 6. dub. 8.

19 Dicēs; cum Deus etiam clarè cognitus non necessariò repræsentet creaturas intellectui creato, vt supra dictum quæst. 6. quomodo potest sibi ipsi per modum obiecti cognitæ repræsentare creaturas, quas tamen non potest non cognoscere secundum suum Esse, quod habent, vel habebunt.

Responderi potest primò; eatenus cognoscere, nihilominus creaturas in se, velut obiecto cognito, quatenus cogitamus prius ratione Deum cognoscere seipsum, vt obiectum primarium; siue per modum causæ, siue per modum Verbi, modo explicato, quam concipiamus scientiam eius extendi ad creaturas. Sed melius responderetur secundò; tamen si diuina essentia non necessariò repræsentet intellectui creato creaturas, ipsam videnti; tamen Deo ipsi, tanquam comprehendenti, necessariò repræsentare, quicquid, salus diuinis decretis, adeoque pro conditione illius Esse, quod creaturæ iuxta diuinæ voluntatis decreta habent, repræsentare potest; etsi non absoluta necessitate respectu omnium, vt inferius dicitur dub. 10. Neque in hac re explicanda est maior difficultas, quam quomodo scientia diuina liberè terminari possit ad creaturas existentes: cum tamen à parte rei sit ipsa Essentia diuina, & Ens absolutè ac summè necessarium, de quo quæst. seq.

20 Assertio IX. Deus cognoscit etiam creaturas in seipso, ac in sua essentia, tanquam in specie intelligibili; adeoque velut medio vt sic non cognito. Hanc assertionem indicant Gabriel & Ockam locis citatis, dum docent, creaturas à Deo ita maxime in seipsis videri, vt eas non videat in sua Essentia, tanquam in obiecto primario prius viso: & apertius Scotus cit. d. 35. quæst. 1. dum docet, intellectum diuinum per suam essentiam constitui in actu primò ad intelligendum; non tantum suam essentiam, sed etiam creaturas omnes: itemque Deum cognoscere creaturas per suam essentiam, vel-

ut rationem intelligendi. Consentit etiam Molina hic quæst. 14. artic. 5. & 6. disput. vnic. dum ait; creaturas elucere (Deo & beatis) per cognitionem elicitam per essentiam diuinam, concurrentem instar speciei intelligibilis: vbi tamen simul addit, non aliter cognosci posse creaturas in Deo, quam vt in obiecto primario cognito. Idem docet Gregorius de Valentia hic quæst. 14. p. 3. vbi dicit, creaturas cognosci à Deo per speciem diuinæ essentia: quod plane etiam sentit S. Thomas hic quæst. 14. artic. 5. vbi propterea docet, Deum non cognoscere creaturas in seipsis, sed in seipso; quia non cognosciteas per species proprias & adæquatas, sed, vt ex discursu S. Thomæ colligitur, per speciem sui quasi continentis, seu, vt ipse loquitur, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso; quod etiam repetit in responsione ad 2. vbi ait: *Ea quæ sunt alia à Deo, intelliguntur à Deo, in quantum essentia Dei continet species eorum.* Et infra artic. 11. species, inquit, intelligibilis diuini intellectus, quæ est Dei essentia, non est immaterialis per abstractionem, &c. Unde per eam Deus cognoscit non solum vniuersalia, sed etiam singularia. Et rursus artic. 12. ait: *Species intelligibilis intellectus nostri non est similitudo hominum, quantum ad principia individualia, sed solum quantum ad principia speciei: essentia autem diuina, per quam intellectus diuinus intelligit, est similitudo sufficiens omnium, quæ sunt, vel esse possunt, non solum, quantum ad principia communia, sed etiam quantum ad principia propria vniuersi cuiuslibet.* Idem admittit Suarez loco citat. num. 13. vbi absolutè eam sententiam vocat probabilem; dummodo alij modi non excludantur.

Ratio est. Quia etiam hic modus cognoscendi in Deo nullam inuoluit repugnantiam vel imperfectionem: neque enim aliud est, Deum per suam essentiam, velut speciem, cognoscere creaturas; quam ipsam essentiam diuinam esse tam perfectam, vt per seipsam possit instar speciei esse ratio obiectiue repræsentatiua creaturarum: quod certè essentia diuinæ, cum in se eminenter contineat omnem perfectionem rei creatæ, denegari non potest. Et quia species, vt sic est ratio cognoscendi obiectum, per modum mediij non cogniti, verisimile est etiam, Deum vt sic, eadem ratione sibi repræsentare posse creaturas: quanquam id facere non posset, nisi simul esset causa eminenter eadem continens, vt pluribus Suarez loco cit. Quomodo autem simul Deus videat creaturas in seipso, velut speculo, dictum in simili supra quæst. 6. dub. 9. vbi de hac re plura.

21 Assertio X. An Deus videndo creaturas, secundum suum esse proprium, in seipso ac in sua essentia, modo explicato, videre dicendus sit creaturas in seipsis etiam; an solum in seipso; quæstio nominis est: & vtrumque diuerso sensu rectè affirmari potest. Ita Gregorius de Valentia quæst. 14. p. 3. & ferè Molina hic quæst. 14. artic. 5. & 6. disput. vnic. Probatur & declaratur. Gabriel enim & Ockam locis citat. docent, Deum cognoscere creaturas in seipsis; quod tribuitur etiam Scoto cit. quæst. vnic. distinctione 35. Idem sequuntur quidam recentiores, qui non alia ratione docent, Deum cognoscere creaturas in seipso, quam

vt in ipsa cognitione creaturarum, seu Verbo mentis.

E contrario verò Deum non cognoscere creaturas in seipsis, sed solum in seipso, expressè & ex instituto docet S. Thomas hic quæst. 14. art. 5. quem ita etiam sequuntur Caietanus, & omnes Thomistæ recentiores. Quæ controuersia, stantibus & suppositis ijs, quæ hæcenus docuimus, ita facile conciliari potest. Dupliciter enim intelligi potest creaturas cognosci in seipsis; primò vt vocula, *In seipsis*, dicat solum rationem obiecti cogniti; secundò, vt dicat etiam rationem & medium cognoscendi. Priori modo nihil est aliud; Deum cognoscere creaturas in seipsis, quam cognoscere secundum se, ac solum proprium Esse ac rationem; quod sanè denegari Deo non potest; nec vnquam negat S. Thomas; vt dictum supra adest. 2. Posteriori modo, idem est, Deum cognoscere creaturas in seipsis, quod, creaturas ipsas esse Deo rationem ac medium cognoscendi creaturas; quod de Deo dici non potest, vt dictum adest, 5.

22 Ad quem ferè modum etiam S. Thomas cit. art. 5. ait, aliquem cognosci in seipsis, quando cognoscitur per speciem propriam, adæquatam ipsi cognoscibili; (formaliter, aut naturaliter, seu directe ita representantem aliquid, tanquam non id solum representet, vt declarat Gregorius de Valentia loco cit.) sicut cum oculus videt hominem per speciem hominis. In alio autem videri id, quod videtur per speciem continentis: sicut cum pars videtur in toto, per speciem totius. Vel cum homo videtur in speculo, per speciem speculi; vel quocumq; alio modo contingat aliquid in alio videri. Vbi tamen exempla S. Thomæ examinare nil opus est. Illud nota, multum in ipsis verbis positum esse, vt posteriorem aut priorem sensum referant. Non enim rectè dixeris, Deum cognoscere alia à se in ipsis rebus: ita enim significatur rationem Deo cognoscendi esse res ipsas; et si bono sensu dici possit, Deum cognoscere alia in seipsis, vt dictum.

#### DUBIVM IV.

*An, & qua ratione Deus cognoscat creaturas tum existentes, tum possibiles; & num adeo etiam cognoscat infinita.*

S. Thomas 1. p. q. 14. a. 9 & 12.

1 **E**xplicanda nunc sunt particulatim obiecta creata, quæ Deus cognoscit; modusque particularis ea cognoscendi; & incipiendum à facilioribus, quales sunt creaturæ tum re ipsa aliquando existentes, tum possibiles etiam, quæ nunquam existant, secundum esse suum possibile spectata. Nam & nos cæteris paribus facilius cognoscimus ea, quæ existunt, quam quæ non existunt; & ea quæ non existunt, facilius cognoscuntur secundum esse possibile, quam secundum esse actuale, quod habitura aliquando sunt.

Assertio I. Deus distinctè cognoscit omnes res

existentes, adeoque omnia quæ sunt & sunt in tota æternitate, etiam intimas & secretissimas cogitationes & affectiones, tam hominum, quam Angelorum. Est mens & doctrina S. Thomæ hic quæst. 14. a. 5. 6. & 12. & Magistri aliorumque Doctorum in 1. d. 35. & de fide, ac extra controuersiam. Probatum apertè ex Scriptura Psal. 32. v. 15. *Qui finxit sigillum corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.* Proverb. 5. v. 21. *Respicit Dominus vias hominum; & omnes gressus eius considerat.* Proverb. 15. v. 3. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* Eccles. 17. v. 16. *Omnia opera illorum velut sol in conspectu Dei: & oculi eius sine intermissione inspicientes in vis eorum.* Ecclesiast. 23. v. 28. *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem; circumspicientes omnes vias hominum & profundum abyssi, & hominum corda intrantes, in absconditis partes.* Domino enim Deo antequam crearentur omnia sunt agnita; sic & post perfectum respicit omnia. Jerem. 17. v. 10. *Ego Dominus scrutans cor, & probans renes: qui do unicuique iuxta viam suam, & iuxta fructum adinventionum suarum.* Apocal. 2. v. 23. *Ego sum scrutans renes & corda; & dabo unicuique vestrum secundum opera sua.* Denique generatim de omnibus rebus creatis, præsertim existentibus, dicitur Heb. 4. v. 13. *Non est ulla creatura inuisibilis in conspectu eius, ad quem nobis sermo.* Rationes sumuntur ex assertione 1. 2. & 3. dub. præced. eæ enim vel maximè procedunt de rebus existentibus, quæ & à Deo velut agente intellectu efficiuntur, & à nobis facilius cognoscuntur.

2 Assertio II. Deus clare, etiam & distinctè cognoscit omnes creaturas possibiles, omnesque modos earum possibiles, quæ possibiles sunt, siue secundum esse possibile; etiam si eæ nunquam actu sint futurae. Ita S. Thomas hic q. 14. a. 9. & est extra controuersiam, ac de fide, Probatum ex Scriptura. Rom. 4. v. 17. *Qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Item Ecclesiast. 23. v. 29. *Domino Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita, etiam secundum esse actuale, quod aliquando habitura essent; ergo multo magis secundum esse possibile. Ratio est; tum quia etiam hæc eo ipso, quod sunt entia quadam, nimirum in potentia, sunt cognoscibilia; præsertim quando ex eo genere nos ipsi etiam multa cognoscimus; ergo cognoscuntur per infinitam scientiam Dei; quæ hoc ipso quod infinita est, necessariò terminatur ad omne possibile: tum quia Deus comprehendit seipsum, omnesque creaturas, totamque vniuersi machinam; ergo cognoscit omnia quæ sunt in sua, vel creaturæ potentia. Vnde rectè etiam concludit S. Thomas cit. a. 9. *omnia cognoscere Deum, quæcumq; per naturam possunt fieri, vel cogitari, vel dici, & etiam quæcumq; ipse facere potest, etiam si actu non sint.**

Assertio III. Deus ea quæ existunt, vel existentiam quandoque habebunt, vel habuerunt, in illa duratione quomodocumque æternitati coexistentem, cognoscit scientia visionis: quæ autem hæc sunt, nec erunt, cognoscit scientia simplicis intelligentiæ. Ita S. Thomas hic cit. q. 14. a. 9. ex communi modo loquendi Doctorum. Cuius hæc est ratio. Quia videri oculis corporis non possunt, nisi existentia; & quæ habent esse (existentiæ distinctum extra videntem, vt loquitur S. Thomas. Intelligi autem, non visionis, sed simplici intelligendi modo, possunt & dicuntur et-

iam ea,

iam ea, quæ nunquam habent existentiam. De quo modo loquendi plura q. 6. dub. 9.

3 Assertio IV. Deus in utroque genere tam creaturarum, non quidem actu simul existentium, sed habentium existentiam in tota æternitate, quæ merè possibile, adeoque scientia utriusque, & visionis, & simplicis intelligentiæ, cognoscit infinita. Ita S. Thomas hic q. 14. a. 12. Caietanus & recentiores Thomistæ omnes ibidem, Ferrariensis cum S. Thoma (etsi quoad scientiam visionis paulo aliter loquente) 1. cont. gent. cap. 69. Consentiant Bonaventura in 1. d. 39. a. 1. q. 3. Richardus ibidem, Gregorius de Valentia q. 14. p. 6. Molina cit. art. 12. Vasquez hic d. 63. c. 2. Neque sub his terminis aduersantur Aureolus & Durandus infra. Solus Wicleffus, quia negauit esse infinitam multitudinem eorum, quæ Deus non fecit, & potest facere, consequenter negare debuit, Deum in genere rerum merè possibilem cognoscere infinita; id quod tamen veluti manifestum errorem ex infinito refellit Waldensis to. 1. lib. 1. a. 1. cap. 14. Omitto Auerroem 12. metaph. com. 5. 1. qui ob hanc etiam causam, ne dicendum sit, Deum cognoscere infinita, negauit, Deum distinctè & particulatim cognoscere singularia, de qua re dub. præced.

Probatur assertio. Quia tam merè possible, saltem secundum numerum, in vna quaque specie sunt infinita, quam actualiter quandoque existentia, vt videre est in cogitationibus & affectionibus hominum, & Angelorum, in tota æternitate futuris: quæ omnia Deus distinctè cognoscit, cum scientiam habeat simpliciter infinitam, quæ necessariò fertur in omnia intelligibilia.

4 Assertio V. Deus distinctè & particulatim cognoscit non solum infinitam multitudinem cogitationum in tota æternitate futurarum; sed etiam infinitam multitudinem diuisionum possibilem (supposita communi philosophia) in continuo; & cuiuscunque numeri rei in infinitum multiplicabilis. Ita docent, & supponunt omnes auctores citati pro assertione præcedenti; & expressè tradunt Sotzinnas in 1. d. 3. q. 2. & Gregori<sup>9</sup> de Valentia loc. cit. contra Aureolum & Durandum in 1. d. 39. quæst. 2. num. 9. qui duo contrarium significant, sed diuersa ratione.

Aureolus enim in 1. dist. 35. part. 4. art. 3. propos. 3. quia negat, creaturas vllas, seu quicquam esse in prospectu diuino, aut in eius presentia, nisi Verbum, & diuinam essentiam, ideo etiam negat multitudinem infinitam, aut vllam omnino multitudinem poni in diuino intellectu etiam obiectiue: *Lices*, inquit, *infinita dicantur (à Deo) cognita denominatiue & æquipollenter, cognita Deitate*: de qua re dictum non nihil dub. præced.

5 Durandus autem loco cit. docet, ea solum ratione à Deo cognosci infinitam eiusmodi multitudinem; quia dato qualibet eiusmodi numero finito, cognoscit posse dari maiorem; & quia nouit, inquit, quod data quacunque multitudine finita in cogitationibus, qua erunt, possibile est dari plures; non autem quia nouit totam multitudinem cogitationum, qua erunt, vt earentem omni finito numero, extra quam non est possibile accipere aliquid de cogitationibus huius creaturæ rationalis; sed intra illam multitudinem contine-

tur, quidquid est possibile in cogitationibus huius creaturæ. Cuius rei duas rationes affert. Prima est. Si enim Deus hoc posteriori modo nosset infinitam multitudinem cogitationum, pari ratione & modo nosset multitudinem infinitam diuisionum possibilem in continuo; sed istud non est verum: Ergo nec illud. Probatur assumptio: quia si Deus nouit totam multitudinem diuisionum continui, extra quam non est possibile accipere aliquam diuisionem possibilem in continuo, & in qua continetur omnis diuisio possibilis, sequitur, quod per diuisiones, quas Deus intelligit, continuum intelligitur diuisum in indiuisibilia. Quia si per illas non intelligitur diuisum in indiuisibilia, sed diuisibilia, sequitur quod intelligatur, vel possit intelligi amplius diuisibile. Ergo extra diuisiones continui, quas Deus intelligit, possibile est dare aliam, vel alias; quod est oppositum antecedenti, seu contra hypothesin. Secunda ratio Durandi est. Quia res non cognoscitur nisi sicut est, sed multitudo futurarum cogitationum, eatenus solum habet esse, quatenus aliqua illarum sunt actu, & aliqua aliæ restant possibile: Ergo eatenus solum Deus cognoscit multitudinem illam cogitationum, quatenus cognoscit aliquas illarum (finitas vtrique) esse actu, & alias præterea esse possibile. Ad di potest tertio; alioqui consequens esse, Deum plus cognoscere, quam possit facere, aut certè potentiam esse ad cognoscendum, quam ad faciendum; posset enim simul & actu cognoscere infinitum: quod tamen non potest simul facere.

6 Sed omiſſa Aureoli ſententia, de qua ſatis dictum dubio præcedenti, ſententia ſanè Durandi non videtur tolerabilis, vt rectè cenſuit Gregorius de Valentia cit. p. 6. Nam ex ea conſequens eſt, aut Deum nunquam diſtinctè cognoscere omnes & ſingulas eiſmodi cogitationes futuras, etiam quando exiſtunt; aut in ſua cognitione mutari & creſcere; quorum vtrumque eſt erroneum: quod itidem de partibus in quas diuidi poteſt continuum, omnique numero, & multitudine, locum habet. Accedit, quod nullus poteſt certus terminus assignari multitudinis earum cogitationum, quas Deus diſtinctè cognoscit; cum nulla ſit ratio, cur non qualibet multitudine assignata, maiorem etiam diſtinctè cognoscit: niſi quis dicat, eas ſolum diſtinctè cognoscere, quæ actu ſunt, aut fuerunt; nullam autem earum, quæ erunt; niſi poſtquam itidem actu ſunt aut fuerunt: quod eſt abſurdiſſimum, & contra fidem; ſic enim Deus ab æterno non ſciuiſſet diſtinctè lapſum Angeli vel Adami, in occulta mentis affectione præcipue ſitum, vt alia abſurda taceam. Denique ſingula illæ cogitationes & partes continui poſſibile ſunt, entia ſaltem poſſibilia: ergo diſtinctè cognoscibilia, ſaltem infinito intellectu Dei.

Ad primum argumentum Durandi, conſeſſa ſequela, negatur aſſumptum ex dictis. Ad probationem reſpondetur, negando ſequelam. Ad annexam rationem reſpondeo, non ipſum quidem continuum intelligi amplius diuiſibile, quam in eas partes omnes, in quas diuidi poteſt, quæque omnes & ſingula à Deo ſunt cognitæ; ſed quamlibet tamen eius partem adhuc intelligi à Deo, vti à parte rei

est, diuisibilem in plures partes, non quidem extra eas, quæ à Deo sunt cognitæ, sed contentas in ea ipsa multitudine infinita, quæ à Deo sigillatim cognita est: ita vt ob hoc ipsum, quod est infinita, in potentia, eiusmodi diuisionum seu partium diuisibilem multitudine, ad nullam diuinam etiam cognitione perueniatur, quæ diuidi amplius non possit.

7 Dices, Deus nouit distinctè omnes & singulas diuisiones, seu diuisionis partes, in quas diuidi potest continuum: ergo nouit diuisionem mente absolutam: ac proinde fieri non potest, vt partes illæ ita cognitæ ulterius intelligantur diuisibiles. Respondeo, Deum cognitione sua eiusmodi diuisibilem nullam proprie facere diuisionem, nec inchoatam, nec absolutam; sed ea tamen ratione, dici posse diuisionem omnem possibilem eius cognitione absolutam, non quia finita & terminata est eius notitia: est enim infinita & cognoscitur infinita; sed quia eius mente tota comprehensa est; ex quo tamen minime sequitur, partes ita cognitæ non cognosci ulterius diuisibiles; sed potius in infinitum adhuc diuisibiles. In quo est aliqua similitudo inter infinitas cogitationes, & partes continui possibles; non ea tamen ratione, quam notauit Vasquez Disput. 63. num. 14. vt dicemus assert. sequenti.

Ad secundum respondetur cum distinctione minoris; est enim vera si cum respectu ad certam aliquam finitamque durationem loquamur: ita enim cogitationes infinitæ sunt, respectu certæ eiusmodi finitæque durationis, vt aliquæ sint actu, aliæ verò sint adhuc in potentia: at vero respectu totius æternitatis; falsa est, quia in tota æternitate omnes & singulæ sunt actu, adeoque habent suam propriam ac distinctam existentiam: secundum quam proinde etiam à Deo sigillatim & distinctè cognoscuntur.

Ad tertium negatur sequela. Sicut enim Deus potest distinctè cognoscere infinitum syncategorematicè, ita potest etiam facere; diuersitas solum est in modo cognoscendi ex parte cognoscentis; & modo produendi illud; quod nimirum simul illud cognoscat; cum tamen solum successiue producat: quod etiam in omnibus rebus successiuis accidit; & suo modo in nostra etiam cognitione cernitur. Neque enim idem est modus cognitionis ex parte cognoscentis, & modus essendi ipsius rei cognitæ, vel etiam productionis ad extra. Quare etiam negatur, Deum potentiozem esse ad cognoscendum, quam ad operandum; si proprie & formaliter loquamur; sicut enim scientia Dei in suo genere est infinita; ita etiam potentia operatiua ad extra.

8 Quamquam modus infinitatis vtriusque, ex parte obiecti, non est planè idem; ad illum enim spectat, simul & actu cognoscere omnia cognoscibilia; ad hanc vero non pertinet simul aut actu facere; imò nec posse facere omne factibile; sed solum posse facere, quæ non dedecent infinitum ens: quo fit vt DEVS cognoscere aliquid possit, quod tamen non potest facere; item, vt simul aliqua cognoscat, quæ tamen non possunt simul esse. Et ratio diuersitatis est;

quia operari ad extra non est perfectio operantis, sed subiecti recipientis; nec etiam posse operari quilibet, est perfectionis, sed solum operari posse bene, & quod rectè fieri potest: cum tamen, acta cognoscere quilibet (etiam peccatum) sit perfectionis in ipso cognoscente: qua de causa, cognoscere quidem omne cognoscibile, necessarium est ad infinitam Dei perfectionem; facere autem, aut posse facere omne factibile, non item; cum peccatum facere Deus nullo modo possit.

8 Assertio. VI. Deus cognoscendo eiusmodi infinita, actu quidem cognoscit infinita; at non infinita actu, sed solum infinita in potentia. Ita expressè Durandus in 1. d. 39. quæst. 2. Almain, in 3. d. 14. q. 1. quos sequuntur recentiores communiter, speciatim Greg. de Valentia & Molina loco citati etiam contrarium docet Vasquez cit. disp. 63. cap. . . vbi dicit, Deum ea ratione non cognoscere solum infinitum in potentia, sed etiam infinitum actu; eo quod actu omnis illa multitudo cogitationum futurarum, & aliquando in tota æternitate existentium, præsens sit Deo, citatque pro eadem sententia S. Thomam hic, Bonauenturam, Richardum, Waldensem, Caietanum, Ferrariensem locis præced. assert. citatis: sed malè, & sine causa; quia isti solum absolutè docent, Deum actu cognoscere infinita; sed non dicunt ea, quæ ita cognoscit, esse infinita actu: & cum ipsi infinitum actu omnino impossibile esse sentiant, vt suo loco superius dictum, procul dubio intelligunt, ea ratione infinitum in potentia solum à Deo cognosci; vt plane falsum sit, quod Vasquez n. 1. ait, hanc quam secuti sumus opinionem, nullum alium ex antiquis scriptoribus sequi, præter Durandum, & Almain. Rectius aliquo modo pro Vasquij sententia citari potest Aureolus in 1. d. 35. quæst. 1. artic. 3. vbi propterea etiam negat, vllam infinitam multitudinem, aut quidquam aliud, præter Verbum, seu diuinam essentiam, esse in prospectu Dei vel presentia: quia quantumcumque, inquit, similitudo sit vnica, si infinita ponantur obiectiue presentia, distincta, & in actu, ponitur infinitum in facto esse & in actu; quod, inquit, est omnino impossibile. Quibus verbis non concedit, quidem Aureolus infinitum actu secundum multitudinem à DEO cognosci; sed solum futurum, vt infinitum actu cognoscat, si multitudo illa sit in prospectu Dei &c.

9 Sed ratio assertionis est manifesta. Quia cognitio Dei cum cognoscat rem sicuti est, non mutat rem ipsam cognitam, seu conditionem rei; cum ergo seclusa cognitione diuina, infinita illa, quæ diximus, sint tantum infinita in potentia, iuxta descriptionem Aristotelis 3. Physic. c. 6. vbi infinitum in potentia docet esse illud cuius omnes partes non sunt (nec fuerunt) actu; sed in quo id quidem, quod actu existit, (vel extitit) finitum est; semper tamen aliquid restat accipiendum; sane dici non potest, id quod ita à Deo cognoscitur, esse infinitum actu. Accedit, quod ipsemet Vasquez nu. 4. ait, infinitum actu, ex mente Aristotelis, esse multitudinem rerum, quæ simul sunt, in qua non potest prima & vltima assignari: cum tamen manifestum sit; multitudinem infinitam cogitationum

futura-

futurarum, non esse simul, sed successiue in tota æternitate existere, vt semper aliquid restet accipiendum siue addendum. Quod suo modo etiam superius quæstione quarta, de partibus continui dictum. Nec valet argumentatio à modo cognitionis, ad modum obiecti cogniti, vt præced. assert. diximus. Licet ergo Deus simul quidem & actu cognoscat eiusmodi infinita; hæc tamen non ideo sunt infinita actu, sed in potentia: etsi rectè dici possit infinitum in potentia actu esse, vt etiam sentit Aristoteles loco citato, nimirum suo modo & successiue: ex quo tamen minime sequitur, esse infinitum actu.

10 Dices. Deus distinctè cognoscit eiusmodi infinita: Ergo sunt actu distincta in mente diuina; ergo actu multa in eadem mente: & tamen non sunt actu multa finitè, seu numero finito: Ergo sunt in mente diuina multa actu, multitudine seu numero infinito: Ergo Deus cognoscit multitudinem infinitam actu. Respondetur. Negando vltimam consequentiam; quia procedit ab esse obiectiuo rei, ad esse subiectiuum & reale, ex eo enim quod infinita terminant actu diuinam scientiam, inferitur, ea simpliciter & absolute esse actu infinita: cum tamen infinitum actu non dicatur ab existentia obiectiuo rei cognitæ: sed ab existentia reali & subiectiuo eiusdem à parte rei existentis; quæ vt dictum, per diuinam cognitionem minime immutatur. Plura de hac recit. quæst. 4. dub. 2.

Quæritur denique hoc loco, an per hoc quod entia possibilis diuinam scientiam terminant, intelligantur habere, aliquid esse actuale extra intellectum. Et refertur Scotus 1. d. 36. quæst. 1. sensisse, Deum intelligendo creaturas, produxisse eas ab æterno, in quodam esse intelligibili obiectiuo, quod esse *diminutum vocat*. Quod etiam defendunt ceteri Scotistæ, Malafossius, & Bargius in 1. d. 35. & sequitur Waldensis tom. 1. l. 1. art. 1. cap. 1. 2. & 3. Quod ita refertur & refellant Gabriel in 1. d. 35. quæst. 1. a. 3. Caietanus quæst. 15. a. 1. Gregorius de Valentia q. 15. p. 2. alijque Thomistæ recentiores, quasi Scotus de esse quodam actuali locutus sit, quod habeant res extra intellectum; eaque de causa eam etiam sententiam seuerius cenet. Sed hac de re esto.

11 Assertio VII Creaturæ ab æterno cognitæ à Deo, per hoc præcisè, quod ita cognoscuntur, nullum habent extra Deum esse reale, imò nec ullum verum esse actuale extra Deum; sed solum esse possibile, cum esse obiectiuo in intellectu diuino, seu denominatione extrinseca obiecti cogniti. Ita cum S. Thoma q. 14. art. 9. Thomistæ omnes, alijque citati. Item Molina hic q. 14. a. 5. & 6. Suarez lib. 3. c. 2. n. 18. & Metaphys. d. 3. l. sec. 2. Vasquez disp. 70. capit. secund. & disp. 114. num. 4. ex communi & certa. Ratio est: tum quia aliàs res omnes creatæ secundum esse suum proprium & formale, existenter ab æterno extra Deum; quod non est consonum fidei. Tum quia vniuersim intellectio rei per se nullum dat reicognitæ esse reale, vel actuale extra intellectum. Neque verò Scotus licet obscure locutus, contrarium re ipsa sentit, vt rectè Molina & Vasquez loco citato.

Sed obijci tamen pro opposita sententia potest, quòd aliàs entia possibilis non videantur dici posse effectus Dei, qui vt tales in Deo velut causa cogno-

9 scantur. Respondetur, negando sequelam. Quia nihilominus etsi non sint effectus actuales, sunt tamen possibiles: non quidem quod ipsum esse possibile, quocumque modo sumptum, præcisè & in se sit per modum effectus posterioris quidam potentia diuina, vt dicitur q. 11. & fuse Vasquez d. 204. Sed quia certè hoc ipso, quod à sua possibilitate extrahi quodammodo, & in actum reduci possunt à Deo, accipiendo ab eodem actualement existentiam, rectè dicuntur effectus possibiles Dei.

#### D V B I V M V.

### *An Deus cognoscat omnia futura contingentia, tum absoluta, tum conditionata.*

S. Thomas 1. p. q. 14. a. 9. & 13.

1 N Vlla peculiaris instituitur quæstio apud Theologos, an Deus cognoscat ea, quæ necessario futura sunt. Cū enim quæ talia sunt, habeant suas causas existentes necessarias, quas Deus intimè nouit, vt dictum dub. præced. nullum relinquunt dubiū, quin etiam Deus omnia, iuxta suum quem habent modum necessitatis (ex suppositione scilicet causarum necessariarum; siquidem ab ipso Deo, vel aliunde non impediuntur) certissimè ac ab æterno præcognoscat. Quæstio igitur solum est, de futuris contingentibus, non quidem cognitis tunc solum, quando existunt in aliquo tempore, vel duratione, æternitati quandoque coexistentem; de his enim sub hac consideratione actum est dub. præced. sed de futuris qua futuris; intellige, non solum respectu præsentis temporis, sed indefinite respectu alicuius durationis coexistentis æternitati, qua Deus rerum omnium creaturarum existentiam antecessit. Ea verò duplicis sunt generis. Quædam enim etsi fiant à causis secundis naturalibus, & secundum se determinatis ad hoc vel illud agendum, ita tamen fiunt, vt quoad suum effectum impediri possint ab alijs causis secundis itidem necessarijs; vt sunt futuræ pluuiæ, ac tempestates, proventus annonæ, generationesq; animalculorum, supposita hac vel illa cæli constellatione; quæ ex varia aeris, aquæ, terræ, &c. dispositione impediri possunt. Et de his itidem non est propriè difficultas: cū eaim Deus totam complexionem causarum naturalium, penitissimè habeat perspectam, scit vtique omnia etiam effecta, quæ & quatenus ab illis, tanquam naturalibus ac necessario agentibus (si nimirum à causa libera non impediuntur) producentur. Alia verò contingentia vt sic fiunt ac pendunt à causis secundis liberis, quæ maximè propriè & per se contingentia dicuntur, & de his potissimè in presenti est quæstio.

2 Hæc autè futura contingentia rursum, aut sunt absolute aliquando ac re ipsa futura; alia verò re ipsa nunquam sunt futura, sed futura solum essent, aut fuissent, (respectu antecedentis æternitatis) si certa quedam poneretur, aut posita fuisset conditio, nunquam tamen re ipsa posita vel ponenda; quæ propterea etiam vocantur futura contingentia conditionata. Vbi inter Theologos celebris est cōtrouersia, an Deus ab æterno certa & infallibili notitia præsciuerit, quid quælibet creatura rationalis & libera fuisset actura, si hæc vel illæ conditiones fuissent posite: v. g. an si alius homo, vt Petrus vel Paulus, cum his vel illis circum-

stantijs pro Adamo creatus, ac in paradiso fuisset, constitutus, peccaturus fuisset. An si Christus Iudæa loculus non commisisset, nihilominus ab eo fuisset proditus. Et similia infinita.

Neq; sermo, aut quæstio est de illis propositionibus conditionatis, in quibus conditio posita, absoluta necessitate secū trahit prædicatum, ita ut prædicatum necessario absolute ac simpliciter connexum sit cum posita conditione, ut videre est in his exemplis; si Deus efficaciter voluisset creare alium mundum, creasset illum; si Iudas fuisset prædestinatus, fuisset saluatus: si Deus voluisset efficaciter Adamum præseruare à peccato, aut si dedisset Adamo gratiam congruam ad peccata deuitanda, Adamus non peccasset, &c. Sed quæstio solum est de illis propositionibus conditionatis, in quibus ipsum futurum conditionatum, quod prædicatur, perse non necessario connexum est cum conditione posita, sed ad eam nihilominus contingenter se habet; ita ut illa etiam posita, possit adhuc esse, vel non esse futurum, ut in supradictis alijs exemplis videre est. Eademq; ratio est contingentium eorum, quæ absolute futura sunt, si præcise considerentur ut futura sub conditione, ante omne decretū absolutū Dei, ut inferius dicitur.

Quæ controuersia quidem nunc recens est inter Scholasticos, & ab antiquis ex Instituto nusquam pertractata, magnum tamen habet momentum ad multa explicanda, quæ spectant ad materiam de gratia, & prædestinatione. De qua res tres feruntur Doctorum sententiæ. Prima est, quæ absolute in Deo negat talem scientiam. Contra quos disserit Molina 1. p. q. 14. a. 13. disput. 18. Secunda est, Deum cognoscere quidem eiusmodi contingentia, sed solum probabiliter, & velut per coniecturam; ad eum modum, (seruata proportione) quo etiam illa à nobis cognoscuntur. Hanc insinuant Catharinus opusc. de prædest. part. 2. & Iansenius cap. 47. Concord. tractans illud, *si in Tyro & Sydona*, & aperte antehac tradiderunt aliqui recentiores Thomistæ, contra quos disserunt Molina loc. cit. Suarez opusc. de scientia Dei l. 2. c. 1. & Vasquez infra. Alterutrum etiam necessario sequi debent illi, qui docent, vnicam esse Deo, rationem cognoscendi certo futura contingentia, præsentiam eorundem realem in æternitate, qualem contingentia hæc conditionata nusquam habent.

Tertia sententia est, Deum certo & infallibiliter, ac ab æterno cognoscere eiusmodi contingentia futura. Ita fusè ac ex Instituto, atq; ante cæteros docuit Molina loc. cit. ac passim in sua concord. Idem docent Bellarminus tom. 4. cont. 2. de amiss. grat. l. 2. cap. 17. Gregorius de Valentia hic q. 14. punct. 5. §. 2. Pererius tom. 2. in Genes. l. 15. disp. 7. Stapletonus in Antidoto super c. 9. in epist. ad Rom. annot. 2. Mascarenas l. de auxilijs d. 2. p. 4. num. 27. & 28. & disp. 3. part. 4. num. 8. Vasquez hic disp. 67. Albertinus tom. 1. princip. 4. q. 4. coroll. 3. Suarez cit. opusc. 2. lib. 2. per totum: qui etiam cap. 3. citat Driedonem de concord. grat. & lib. arbit. 1. p. c. 4. ad 3. Ruadum art. 7. Waldensem tom. 1. doctrin. c. 23. non obscure hæc tradentes sententiam. Et addit Suarez: *Scriptores etiam in 1. part. s. Thomæ frequentius sequuntur hanc sententiam; & quidem contrariam parum rursam; alij errorem fere appellant. Deni-*

que Doctores fere omnes Theologi huius temporis, quos ego in Italia & Hispania consului, huic sententiæ adhaerent. Ita ipse, Sed & Mascarenas loc. cit. ait, eam esse necessariam, ad percipiendam concordiam gratiæ cum libero arbitrio; ad concilianda inter se Patrum dicta; ad intelligendam distinctionem gratiæ in sufficientem & efficacem; ad demonstrandam infallibilitatem diuinæ prædestinationis. Denique Franciscus Zumel etfi de hac re lubricè & obscure locutus sit in 1. p. q. 14. a. 1. disp. vn. tamen inferius art. 13. disp. 8. assert. 1. eam sententiam videtur defendere, cum ait; *Non est tutum negare infallibilitatem, & certam cognitionem illorum contingentium conditionerum in Deo*, Similia habet in disputationibus varijs in 1. p. de futuris contingentibus disp. 5.

Differunt tamen hi auctores inter se dupliciter. Primo quidem nomine tenus, ac in vocibus: qua ratione nimirum ea scientia in Deo sit nominanda. Quidam enim vocant *naturalem*; quia præcedit omne decretum liberum diuinæ voluntatis, saltem absolute. Ita olim à se appellatam notat Molina hic loc. cit. disp. 18. memb. 2. Quo spectant etiam illi, qui eam vocant scientiam *simplicis intelligentiæ*, ob eandem causam, & quia est de rebus actu nunquam existentibus; in quibus sunt Gregorius de Valentia, Albertinus, Vasquez locis citatis. Alij eandem vocant scientiam *liberam ac visionis*; in quibus est Suarez cit. lib. 2. cap. 3. Quia non est rei possibilis, ut sic, sed existentis sub conditione; & tamen ex suo genere sit necessario in Deo, prout tamen versatur circa hoc, vel illud obiectum particulare, potuit absolute non esse in Deo; si nimirum liberū arbitrium, uti pro sua libertate poterat, etiam supposita hac vel illa conditione, hoc vel illud, de quo sermo est, non esset facturum, &c. Alij eam scientiam vocant *mediam*; nimirum inter scientiam visionis & simplicis intelligentiæ; siue inter scientiam naturalem & liberam. Ita Molina, Mascarenas, ac plerique recentiores, qui hanc scientiam tenuerunt.

Secundo discrepant auctores citati inter se re ipsa; quamuis enim in hoc omnes consentiant, Deum infallibiliter scire eiusmodi futura contingentia quando conditio est causalis; dissentiant tamen de alijs. Quidam enim docent, id solummodo verum esse, quando conditio est causalis. Ita Vasquez loco citato. Alij quando est, vel causalis, vel conditionalis prærequisita: in quibus Albertinus loc. cit. punct. 3. Alij denique etiam quando est plane disparata; modo contingens sit re ipsa cum ipsa connexum; ut si Petrus peccabit, Ioannes pænitebit. Aut si Roma hodie plueret, Iacobus Ingolstadtij disputaret. Ita Suarez loco citato, capite sexto num. 4.

Ad has vero tres sententiæ hactenus commemoratas, & ab alijs etiā referri solitas, addi potest, quarta sententia Didaci Aluarez libro secundo de auxilijs disput. 7. qui cum assertores scientiæ huius reprehendisset, quasi nec verum quæstionis statum constituisset; nec quæstiones diuersas satis distinguisset; nouum ipse quæstionis statum constituit; quasi nimirum de hoc solum quæstio sit & controuersia; Vtrum Deus ante omne decretum suæ voluntatis prædeterminantis consensum Petri absolute futurū, vel ex hypothesi, quod constitueretur in talibus circumstantijs, certo sciat in particulari, an Petrus



fit consensus posita illa conditione, an potius dissentensus, &c.

Ad quam questionem respondet ipse negativè; nimirum eiusmodi futura conditionata non cadere sub scientiam, ut futura aliquo modo, nec ut sic esse scibilia infallibiliter etiam à Deo; sed solum cognosci ut possibilia fieri: post diuinum autem decretum, saltem conditionatum, etsi quidem concedat inferius in solutionibus argumentorum, futura quædam eiusmodi conditionata cognosci à Deo; per scientiam liberam; ut quædam exempla Scripturæ inferius referenda probant; non tamen satis declarat, quid yniversim sentiendum sit, an videbitur de omnibus eiusmodi futuris conditionatis, sub quacunque conditione præsupposita, habeat Deus decretum liberum, quo apud se statuerit, quid supposita quacunque eiusmodi conditione vellet fieri, aut permittere; ita ut proinde absolute loquendo, Deus saltem post decretum suum conditionatum, omnia eiusmodi futura contingentia, non solum ut possibilia, sed etiam ut futura infallibiliter cognoscat. Refert tamen Vasquez citata disputatione sexagesima septima, numero vigesimo, quosdam recentiores ita sentientes; Deum sub conditione etiam apud se decrevisse omnia; & ex hoc decreto à Deo cognosci omnia futura sub conditione, secundum infinitas causarum combinationes, iuxta quas omnia apud se statuit, quæ facturus esset: in qua sententia etiam videtur esse Zumel in disputationibus varijs in primam partem, dub. 5. conc. 5. quod tamen itidem refutat Vasquez loco citato, & disputatione 80.

8 Fundamentum autem proprium huius sententiæ est; quia existimat, sine prævio decreto, quo Deus apud se, antecedenter ad omnem determinationem liberam causæ secundæ, statuerit ac prædefiniuerit, quid fieri ac permittere ipse velit, nihil posse fieri. *Vnde nos inquit Alvarez, negantes scientiam mediam, & illam impugnantes, non negamus ut Deo esse scientiam futurorum conditionatorum, sed eorum tantummodo, quæ cum nullo modo futura sint, etiam ex hypothesis, asseruntur esse futura conditionata.*

Cæterum, quod ad statum huius questionis atinet, non existimo assertores huius scientiæ esse reprehendendos; nec arbitror eum recte ab hoc auctore explicatum; cum ipse potius diuersas questiones inter se confundat. Hæc enim sunt inter se distincta; primum, an Deus eiusmodi futura conditionata infallibiliter quocunque demum modo & medio, & in quocunque rationis signo cognoscat; alterum, quandonam, seu in quo signo rationis, quoquo modo vel medio Deus illa cognoscat. Quo spectat illud, quod ab hoc auctore propositum est, an Deus eiusmodi contingentia futura cognoscat ante omne decretum suæ voluntatis, &c.

Ex his duobus, quorum utrumque est controversum inter Doctores, primum spectat ad questionem, An est; alterum ad questionem propter quid, & quando; seu quo modo & medio est. In præsentem autem loco discutitur quæstio an est; quam citatus auctor, ut dixi, non sufficienter resoluit: de modo autem & medio huius questionis ex instituto agemus dubio sequenti, obiter tamen simul etiam hoc loco responduri ad questionem

ita formatam, prout ab hoc auctore proposita est.

Quæ de causa notandum, minime controversum esse, an Deus eiusmodi futura conditionata infallibiliter cognoscat, ante omne decretum Dei conditionatum, sed solum ante decretum illud prædefiniens ac prædeterminans, quod natura ac ratione præcedat omnem determinationem causæ secundæ. Alias constat, cum in eiusmodi propositionibus conditionatis, semper supponatur conditionis alicuius existentia, quæ sine Dei voluntate, & decreto saltem conditionato esse non potest; necessarium utique esse, omnem notitiam earundem propositionum posteriorem esse aliquo Dei decreto, nimirum illo; quo ponitur, Deum hanc vel illam conditionem aliquo tandem modo esse, aut permittere voluisse. Perinde enim est, si quæras, an posito quod Adamus non peccasset, filius Dei fuisset incarnatus. Item, an si Iudas cum his vel illis circumstantijs externis fuisset ad penitentiam vocatus, ut Petrus, fuisset conuersus, &c. ac si quæras, An si Deus voluisset efficaciter, ut Adam non peccaret, vel ut Iudas ita vocaretur, sicut Petrus, ea quæ diximus facta fuissent. Imo præter hoc Dei decretum, inuoluitur etiam in eiusmodi conditionatis propositionibus, aliud Dei decretum conditionatum concurrenti cum eiusmodi causâ libera ad hunc vel illum effectum, qui sub conditione de illa prædicatur, ut rectè etiam notauit Vasquez cit. disp. 67. c. 3. n. 22. His positus est.

10 Assertio I. Deus omnia futura contingentia absoluta, ab æterno infallibiliter nouit. Ita S. Thomas hic q. 14. a. 13. & Doctores in 1. d. 38. & 39. & est de fide, contra Ciceronem l. 2. de diuinat. qui ut defenderet fortunam, & casum, ac libertatem in hominis actionibus, scientiam eiusmodi futurorum Deo denegauit, ut refert etiam & refellit S. Augustinus l. 5. de ciuit. cap. 9. & putant nonnulli, in quibus Vasquez Disputatione sexagesima quarta, numero secundo, post Ariminensem, in eodem etiam errore fuisse Aristotelem lib. 1. de interpret. cap. 8. quem tamen alij illic rectè philosophatum de futuris contingentibus sentiunt, ut dicitur dubio 6. Apertius huic errori, saltem in modo loquendi, affinis est Aureolus in 1. d. 39. q. 1. a. 1. & 3. ubi docet, falsum esse dicere, *Deum distinctè & determinatè nouit Antichristum fore, sed solum, inquit, nouit fore, aut non fore, disjunctim & confuse; ubi yniversim sentire videtur, Deum de futuris contingentibus (eo quod determinate vera aut falsa non sint) nihil aliud scire, quam fore aut non fore disjunctim & confuse; nullam autem illius partem distinctè; etsi fateretur interim, Deum omnia, quæ futura sunt, inueniri & nosse, ut præsentia, &c.*

Probatur assertio aperte ex Scriptura Eccli. 23. v. 29. *Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt cognita: sic & post perfectum respicit omnia.* Rom. 4. v. 17. *Qui vocat ea quæ non sunt; tanquam ea quæ sunt.* Idem passim docent SS. Patres. Ratio est euidentis. Tum quia futura ista contingentia sunt cognoscibilia aliquo modo (saltem per cōiecturam) etiam ab homine: ergo multo magis à Deo. Tum quia Deus horum ipsorum etiam (si bona sint) causa est per intellectum & voluntatem. Tum quia sunt determinate veritatis, ut dicitur dub. 6. Ergo necessariò cognoscuntur ab infinito intellectu, ad quem pertinet

infalli.

infallibiliter cognoscere omne cognoscibile. Tum denique quia si Deus primum, postquam existunt, cognosceret illa, & non ab aeterno, iam scientia Dei, Deusque adeo ipse esset mutabilis, & non purus actus, sed mixtus potentiae passivae.

11 Assertio II. Deus aliquo tandem modo ab aeterno nouit contingentia quaedam futura conditionata. Ita auctores secundae, tertiae, & quartae sententiae; cum quibus etiam iudico assertionem hanc in his terminis non posse negari absque errore. Probatio patebit ex assert. 3.

Assertio III. Deus horum contingentium habet notitiam non probabilem tantum, sed infallibilem. Ita auctores tertiae & quartae sententiae; ex quibus itidem nonnulli recte sentiunt, oppositum esse parum tutum, adeoque temerarium; addo ego, quodam sensu, etiam erroneum. Dupliciter enim intelligi potest, Deum habere eiusmodi contingentium scientiam duntaxat probabilem; primo quasi ipsa Dei scientia de his contingentibus sit incerta & fallibilis; quod tunc foret, si Deus eiusmodi propositionibus absolute ac sine modificatione addita; coniecturali tantum seu probabiliter assensu assentiretur, nimirum hoc futurum esse, si hoc fiat; & hoc non videatur sine errore Deo posse tribui: quia hoc esset Dei scientiam, Deumque ipsum, errori subijcere: si enim falli potest Deus in eiusmodi scientia; ergo nihil obstat illum aliquando re ipsa falli ac decipi: posse. autem falli, si haec scientia Dei incerta solum esset, & coniecturalis. Atque ad idem propositum etiam Vasquez citata disputatione sexagesima septima, capite tertio, numero decimo ait, errorem esse in fide, scientiam Dei fallacem esse posse.

12 Secundo, & alio modo intelligi potest, Deum de his rebus habere scientiam solum probabilem; ita, ut non assentiat ei eiusmodi propositionibus hypotheticis, nisi modificatis ipso modo probabilitatis addito; nimirum probabile esse hoc futurum, si hoc fieret: quo modo etiam de bonis Angelis docetur, eos non assentiri propositionibus solum probabilibus, nisi modificatis ipso eiusmodi probabilitatis modo; ita ut obiectum assensus non sint propositiones simplices de inesse, sed modales. Et hac ratione tamen non sit tam apertus error, Deo tribuere contingentium eiusmodi futurorum conditionatorum cognitionem solum probabilem; quandoquidem hac ratione ipsa Dei scientia fallax ideo, aut incerta minime redditur; cum eiusmodi propositiones modales sint certissimae, etiam si propositio de inesse, cui additur modus probabilitatis, sit solum probabilis; ut ex dialectica constat, tamen id nec hoc quidem sensu satis Scripturae, Patribus, & rationi consentaneum est. Siquidem Scripturae, & sancti Patres non solum tribuunt Deo de eiusmodi futuris contingentibus notitiam quasi modalem, sed simplicem; qua nimirum absolute nouerit, quid tali vel tali conditione posita, futurum esset; non quid probabiliter esset futurum.

13 Exempla plura huius rei refert Scriptura. Primum habetur libro primo Regum capite vigesimo tertio versu decimo, his verbis: *Et ait David, Domine Deus Israel, audivit famam seruus tuus, quod disponat*

*Saul venire in Ceilam, ut evertat urbem propter me, si tradent me viri Ceila in manus eius? & si descendet Saul, sicut audivit seruus tuus? Domine Deus indica seruo tuo: Et ait Dominus, descendet. Dixitque David, si tradent me viri Ceila, & viros qui sunt mecum in manus Saul? & dixit Dominus, tradenti. Vbi aperte sermo est de futuro contingente solum conditionato; quandoquidem David re ipsa nunquam traditus fuit à Ceilanis, sed solum tradendus praedicitur, si in ea Urbe permaneat. Neque vero Deus respondit solum, probabile esse, Saulem descenditurum, & Davidem tradendum fore; sed simpliciter ait: *Descendet, Tradent*: quae proinde cognitio non potuit non esse infallibilis.*

Secundum exemplum est, tertio Regum vndecimo, versu secundo, ubi dicitur: *Dixit Dominus filiis Israel, non ingrediemini ad eam; neque de illis egredientur ad vestras: certissime enim auertent corda vestra, et sequamini Deos earum. Vbi itidem sermo est de futuro contingenti conditionato, à Deo infallibiliter cognito.*

Tertium exemplum est quarto Regum decimo tertio, versu decimo nono. Vbi Elisaeus ex diuina & prophetica scientia ad Ioas Regem Israel ait: *si percussisses (terram) quinquies, aut sexies, percussisses Syriam usque ad consummationem. Nunc autem tribus vicibus percussis eam. Vbi iterum sermo est de contingenti futuro solum conditionato, infallibiliter à Deo praecognito; etiam absque addito modo probabilitatis.*

14 Quartum exemplum est Sapientiae quarto, versu vndecimo. *Reptus est, ne malitia mutaret intellectum eius; & ne fictio deciperet animam illius: in quibus verbis includitur quoddam futurum conditionatum, à Deo cognitum; nimirum si electus ille non tempestive eius tollatur, futurum ut in peccatum incidat & damnetur: & tamen illud futurum erat conditionatum tantum, nunquam absolute futurum.*

Quintum exemplum habetur Isai. primo, versu nono. *Nisi Dominus Sabbath reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuisset, & quasi Gomorraha similes essemus. Vbi propheticæ, adeoque ex Diuino spiritu & praesentia praedicitur, Israelitas omnino fuisse perituros, nisi Deus speciali curâ aliquos reseruaasset, aut secundum alium sensum, nullos futuros fuisse pios & electos, nisi Deus Christum & Apostolos, ex Israelis semine, in mundum misisset: & tamen fieri poterat, ut saltem per aliud decretum nihilominus saluarentur.*

Sextum exemplum habetur Ieremiae trigesimo octauo, versu 17. ubi propheta ait: *Hec dicit Dominus exercituum Deus Israel: si profectus exieris ad principes Regis Babylonis, viuet anima tua; & ciuitas haec non succendetur igni; & saluus eris tu, & domus tua. Si autem non exieris ad principes Regis Babylonis, tradetur ciuitas haec in manus Chaldaeorum, & succendent eam igni, & tu non effugies de manuum eorum. Vbi vides, utrumque contradictionum contingens à Deo certo prauiusum.*

Septimum exemplum est Matthaei 11. vers. 21. *Ve tibi Corozaim, ve tibi Bethsaida; quia si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quae facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere paenitentiam egerissent. Idem ha-*

betur.

betur Luca decimo, versu decimo tertio. Quem locum etiam ita declarat & expendit S. Augustinus libro secundo de bono perseverantiae, capite nono. Et quamvis Matthæi undecimo, versu vigesimo tertio in simili addatur particula forte; ea tamen non incertitudinem divinæ præscientiæ, sed solum contingentiam effectus designat, iuxta SS. Patres, & interpretes ibidem. Vide Ambrosium lib. 2. de penitentia capite quinto. Hieronymum in illud Hieremias vigesimo sexto. *Noli subtrahere verbum, si forte audiam: Augustinum, in illud Psalmi secundi Ne quando irascatur. Eusebius libro sexto de præparat. Euangel. Simile est illud Ezechiel. 3. v. 6. Non ad populum profundi sermonis, & ignota lingue tu mitteris, & si ad illos mitereris, ipsi audient te.*

Octavum est Matthæi vigesimo quarto versu vigesimo secundo. *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur.* Unde colligitur, Christum certo cognovisse hoc futurum conditionatum, si persecutio Antichristi duraret maiori tempore, ipsi etiam Electi eius temporis deficerent & damnarentur.

Nonum est Luca decimo sexto, versu trigesimo primo. *Si Moyses & Prophetas non audiant, neque, si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Quæ omnia & singula exempla rei propositam certo demonstrant.

Secundo probatur eadem assertio ex SS. Patribus. S. Gregorius Nyssenus in libro de ijs, qui præmature abripiuntur, ait: *Perisimile enim est, eum, qui id, quod futurum est, æque ac præteritum cognovit, progressum vita infantis ad perfectionem prohibere, ne quod in præscientia malum animadversum est, in eo, qui ita victurus fuisset, perficiatur, atque ei, qui ea voluntate, arbitrioque victurus fuisset, vitæ nequitiaque materia vita fiat.* In quem sensum etiam loquuntur S. Cyrillus libro tertio contra Iulianum, & Augustinus libro secundo, de Bono perseverantiæ, capite nono. Vbi ait: *Certe poterat illos Deus, præsciens esse lapsuros, antequam id fieret, auferre de hac vita.* Vbi de ijs, qui ob infidelitatem damnantur sermo est.

Ad hæc S. Chrysostomus Homilia sexagesima quinta in Matthæum docet, S. Paulum & latronem, ideo non prius à Deo vocatos, quia præsciuit ipsos tunc repugnatos vocationi. Idcirco, inquit, alij mane, alij tertia, alij nona, alij undecima hora vocantur, quia tunc obtemperaturi erant. Quod & Paulus aperte significavit, dicens: *quando autem accepit Deus, qui separavit me à ventre matris meæ. Quando porro Deus voluit, quando certe obtemperaturus erat; nam ipse à primis etiam incunabilis voluisset: sed quia illum veniurum sciebat, tunc voluit, cum animum penetraturam vocationem non ignorabat. Sic & latronem eum postea vocavit: potuisset antea ipsum vocasse; sed vocatus ille non paruisse.* Quibus verbis aperte Chrysostomus scientiam eiusmodi mediam Deo tribuit. An autem ea causa recte sit assignata, cur Deus hoc vel illud disposuerit, dicitur suo loco de causa prædestinationis.

Simile quid docet S. Augustinus in libro de sex questionibus paganorum, epistola quadragésima nona, quæstione secunda, ubi ait: *Tunc voluit Chri-*

*stus hominibus apparere, & apud eos prædicare suam doctrinam, quando, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri.* Vbi rursum indicat, præsciuisse Christum, homines non fuisse credituros, si alio tempore, & alibi prædicaretur, &c. Unde rectè generatim colligimus, Deum etiam futura eiusmodi conditionata certo, & infallibiliter cognoscere, ex mente SS. Patrum.

Item libro de corrept. grat. capite octavo dicit Augustinus. *De his, differimus, qui perseverantiam bonitatis non habent, sed ex bono in malum, deficiente bona voluntate, moriuntur. Respondeant, si possunt, cur illos Deus, cum fideliter, & pie viverent, non tunc de vitæ huius periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne scilicet decipiat animos eorum? Vtrum hoc in potestate non habuit: an eorum mala futura nesciuit? Nempe nihil horum, nisi peruersissime, atque insulsissime dicitur.* Vbi rursum expressè docet Augustinus; Deum potuisse cognoscere peccata istorum, sub conditione futura, etiam si Deus eos, priusquam peccarent, ex hac vita sustulisset.

In eundem sensum S. Gregorius libro vigesimo tertio Moralium, capite vigesimo tertio. *Suos, inquit, Deus aliquando flagellis premit, & oneribus gravat; quia mera potentia prævidet, quod si in tranquillitate persisterent, tentationes ferre adversary non valentes, mentis prostrati vulneribus iacerent.* Accedit, quod sæpè alijs docent, Deum ante omne decretum absolutum cognovisse homines huic vel illi vocationi consensuros; alios, aut aliter non consensuros.

Cuius autem miseretur, inquit S. Augustinus libro primo ad Simplicianum quæstione duodecima, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat. Et in eundem sensum de reprobis superius dixerat Augustinus; si vellet (Deus) etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur. Vbi supponit, Deum circa reprobos habuisse scientiam conditionatam eius vocationis, qua & ipsa moverentur, si Deus eos ita vocare voluisset. Et hanc congruitatem vocationis non consistere in vi quadam physica, qua physice prædeterminet voluntatem, ut recentiores Thomistæ dicunt, indicat ipse etiam libro de Bono perseverantiæ capite decimo quarto, ubi ait: *Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentia, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Et Ambrosius super caput nonum ad Romanos: *Ei secundum propositum vocantur, quos credentes præsciuit Deus futuros sibi idoneos, ut antequam crederent, scirentur.* Vbi de conditionata scientia loquitur. Denique communis est hæc Patrum & Scholasticorum doctrina, Deum antequam statueret hominem creare, præsciuisse eum esse peccaturum, si à serpente tentaretur, &c. Et quamvis hæc potissimum concernant ea, quæ re ipsa postea aliquando evenerunt, spectant tamen ad scientiam conditionatam, quam Deus habuit natura prius, quam quidquam eorum re ipsa futurum esset, quamque adeo etiam à Deo per scientiam liberam visionis præsciuntur.

18

Tertio probatur veritas eadem ratione. Primo. Nam & nos ipsi probabiliter multa eiusmodi futura conditionata nouimus; verbi gratia. Si amicum hoc modo ad eam inuitauiero, veniet; si alio modo, non veniet. Si intercessero pro hoc reo, liberabitur: alias damnabitur. Item, probabiliter existimare possumus, Iudam non futurum fuisse furem ac proditorem, nisi oculos habuisset, quibus ad pecuniæ cupiditatem fuisset stimulabatur: hominem in paradiso non fuisse peccatum, nisi à serpente seu Diabolo fuisset tentatus, &c. Petrum non fuisse negaturum Christum, si non fuisset ingressus impij Pontificis atrium, &c. Ut taceam, quædam eiusmodi per scientiam Theologicam certo etiam cognosci, vt est illud iuxta S. Thomam 3. p. quæst. 1. art. 2. Si Adam non peccasset, filius Dei non fuisset incarnatus; & rursum illud 1. p. quæst. 97. Si homo perseverasset in statu innocentiae, esset immortalis. Quidni ergo Deus omnia futura conditionata infallibiliter norit? quandoquidem scientia fallax in Deo locum nullum habet.

Secundo. Ista futura conditionata sunt determinate vera vel falsa: Ergo scibilia; adeoque saltem per infinitum intellectum certo & infallibiliter cognoscibilia. Consequentia patet. Antecedens contra Auctores primæ, secundæ, & quartæ sententiæ probatur dupliciter. Tum quia hæc futura conditionata, supposita conditione, ad fore, vel non fore, eodem modo se habent, sicuti contingentia absolute futura, etiam seclusa conditione: sola enim conditione differunt: sed contingentia absolute futura non admittunt aliquod medium; sed altera pars est distincte vera; altera verò distincte, & determinate est falsa, & non altera; vel vtraque indeterminatè vera; vel falsa vt dicitur dub. 6. Ergo etiam propositiones istæ de contingentibus futuris conditionatis, sunt determinatè veræ, vel falsæ. Tum quia suppositis, etsi quidem nihilominus homo pro sua libertate possit agere, vel non agere; impossibile tamen est, vt maneat re ipsa indifferens, & ab viroque abstinens, ita ut nec agat, nec non agat; cum hæc sint contradictoria; inter quæ non datur medium: Ergo alterum necessario, ac determinatè re ipsa verum erit; aut acturum scilicet, aut non acturum his vel illis conditionibus positis: id quod per eiusmodi propositiones significatur, vt inferius in solutione argumentorum dicitur.

19

Tertio. Postquam Deus decrevit Petrum creare, & permittere, vt in tali rerum ordine constitutus peccet; præscit absolute illum esse peccatum: Ergo antequam statuat illum creare & constituere in tali ordine rerum, præscit, quod si crearetur, & constitueretur in illo, peccaret; quod ad scientiam conditionatam pertinet, non ad absolute visionis; quia non est de re existente, vel absolute futura; nec proprie etiam ad scientiam naturalem vel simplicis intelligentiæ; quia non est de re mere possibili, sed de futura sub conditione.

Eademque est ratio non solum omnium eorum, quæ post decretum diuinum creationis, certæque

providentiæ ac gubernationis, ab homine libere, sunt; cum vtique Deus omnia illa certo nouerit futura sub conditione, quæ postea impleta conditione re ipsa futura erant; sed etiam eorum, quæ absolute nunquam futura essent. Quod ita ostendo. Quæro enim, an non sint in potentia Dei, præter eos, qui re ipsa nunc sunt, vel etiam erunt, plures, imo infiniti adhuc alij homines, quos Deus posset creare; quosque si certo quodam ipsique accommodato vocationis modo præueniret, essent consensuri, & salutem consecuturi. Certè hoc diuinæ potentiæ negari non potest: Ergo nec scientiæ, qua Deus id ipsum certo & infallibiliter norit. Scit enim non solum omnia, quæ sunt; sed etiam quæ futura sunt, & quo modo futura sunt, &c.

Quod autem Auctores contrariæ sententiæ dicunt, hæc quidem esse futura conditionata, non autem ita contingentia, vt sint omnis necessitatis physice expertia; eo quod certus ille modus vocationis congruæ & accommodatæ, ex se & sua natura, necessario, ac physice secum trahat assensum; plane falsum est, ac falso fundamentum nititur; vt suo loco de gratia dicitur.

Vnde quarto denique ita argumentor. Si necessario tribuendus est Deo is prouidentiae modus, quo possit hominem ex intentione certo quidem ac infallibiliter, sed salua tamen etiam eius in agendo libertate; per gratiam congruam perducere ad beatitudinem; tum necessario tribuenda est Deo hæc scientia conditionata futurorum contingentium: sed antecedens est verum, vt omnes fatentur, & suo loco patebit: Ergo & Consequens. Maior probatur: Quia stante hac scientia conditionata futurorum contingentium, optime & facillime explicatur, quomodo Deus per gratiam congruam liberè & infallibiliter perducit hominem ad consensum, & beatitudinem, vt inferius dicitur dubio vndecimo, & quaestione decima, dubio octauo; sine hac autem necessario deueniendum est ad eum modum gratiæ congruæ asserendum, quo voluntas physice prædeterminetur; vt omnes auctores oppositæ sententiæ, recentioresque Thomistæ faciunt; quem tamen non bene coherere cum libertate hominis inferius citata quaestione vndecima, dubio primo, fufius dicitur. Est ergo hæc scientia conditionata in Deo necessario constituenda. Et hoc ipsum est, quod auctores illi tertiæ sententiæ recte dixerunt, eam esse necessariam ad præcipiendam concordiam gratiæ cum libero arbitrio; ad conciliandam inter se Patrum dicta; ad intelligendam distinctionem gratiæ in efficacem & sufficientem; ad demonstrandam infallibilitatem diuinæ prædestinationis.

Assertio IV. Deus habet scientiam infallibilem omnium eiusmodi futurorum contingentium sub conditione; etiam si absolute nunquam futura sint. Hæc est mens auctorum, quos pro tertia sententiâ citauimus. Ratio est. Quia est eadem ratio omnium: si enim aliqua sub conditione contingenter futura novit; cur non omnia pariter ita futura nouerit: modo reuera sub conditione

deter-

determinate futura sint; quod neque authores quartæ sententiæ negant; cum fateantur, se non negare Deo scientiam futurorum conditionatorum; sed eorundem tantummodo, quæ cum nullo modo futura sint etiam ex hypothese, quanquam eo ipso, quod multa negent sub conditione futura, quæ nos futura dicimus; assertioni huic re ipsa aduersari coguntur.

Hoc solum obseruandum, hypothesein, quæ in antecedenti ponitur, non debere abstractè & quasi solitarie accipi, sed cum respectu ad determinatum subiectum, & secundum omnes conditiones, à quibus prædictum dependet. Nam si indefinite dicas, Homo si hoc vel illo uocationis modo uocabitur, consentiet; non habet definitam & determinatam ueritatem; cum ex hominibus aliqui facile sint cõsensuri, alij nõ cõsensuri. Quare nec à Deo hoc modo, prout in abstracto indefinite ponitur, cognoscitur. Eodem modo si dicas, Iudas si fuisset ob furtum cum Christo crucifixus, confessus fuisset Christum & saluatus, sicut latro cum eodem crucifixus; subintelligendum est, si uti cum latrone accidit, rationis compos, ea signa uidisset, quæ latro uidit, aut saltem recoluisse ea, quæ ante uiderat, &c. Et ita in similibus ratiocinandum; quia cum causalitas & connexio prædicari cum antecedente conditione, non sit nisi in particulari, & cū determinatis conditionibus, donec ad has descendatur, aut saltè sub vna reliquæ subintelligantur, non potest cognosci determinatio futura causæ liberæ, ut bene etiam notauit Suarez cit. opus. 2. lib. 2. c. 6. num. 4.

Assertio V. Deus cognoscit eiusmodi futura conditionata, non solum in quibus conditio est causalis, vel necessariò præsupposita, sed etiam in quibus est disparata; modo prædicatum re ipsa cum ea sit connexum, ipsaque adeo conditio adæquate, & cum respectu ad ceteras conditiones, quibus cõnnecta est, accipiat. Ita sentio cum Suarez lo. cit. et si alij aliter, ut dictum. Probat & declaratur. Quia copula si in eiusmodi propositionibus, dupliciter accipi potest. Primo illatiuè proprie, ut nimirum ex vi conditionis talis re ipsa sequatur, aut inferatur hoc prædicatum; & hac ratione futura eiusmodi conditionata, seu potius propositiones illæ, in quibus conditio est disparata, non sunt veræ, nec adeo sic cognoscuntur à Deo. Secundo accipi potest concomitantè, quasi per modum aduerbij temporis, seu quatenus præcisè significat connexionem, seu concomitantiam consequentis cū antecedente, ita ut nil aliud significetur huiusmodi propositionibus, quam cū hoc erit, siue hoc existere, vel supposito, erit & illud; & in hoc sensu uerum habent sensum propositiones illæ, si modo consequens cum antecedente re ipsa sit connexum, ipsaque conditio, siue antecedens, adæquate, ceteris quæ requiruntur, subintellectis, accipiat.

Ponamus enim v. g. studiosum aliquem in Hispaniâ ad disputandum publice paratum, ac destitutum, cum alio studio sponsum fecisset, se non disputaturum nisi eo die, quo Ro-

mae pluar, seti quod idem est, futurum, ut Roma pluar, eo ipso die, quo Salmanticae disputabit, id si uerè futurum sit, uerè de se dicere poterit; Ego Salmanticae disputabo, si Roma pluar: nec minus uerè de ipso alij dicere poterunt; Hic Salmanticae disputabit, si Roma pluar. Idem fere est, si quocumq; modo futurum ponatur, ut Roma pluar, cum Petrus in golo stadij disputabit. Uerè enim, licet minus proprie, dici poterit; si Roma pluar, Petrus hic disputabit; nec alius erit eius propositionis sensus, quam plura Roma existente, siue cum Roma pluar; Petrus hic disputabit. Exemplum habemus in Scriptura. 4. Reg. 13. vers. 19. ubi Elifaeus ad Ioas Regem Israel ait, si percussisses terram, quinque, aut sexies, percussisses Syriam usque ad consummationem. Nunc autem tribus uicibus percussit eam. Vbi quidem sane percussio illa sæpius iterata, neque erat causa percussiois frequentioris; neque per se ac ex natura rei præsupposita, sed plane disparata; quia tamen ex vi decreti diuini futurum erat, ut sæpius uinceret Ioas; si sæpius percussisset terram, rectè id à propheta dictum est; etiam si causa hæc connexionis utriusque euentus non fuerit expressa; subintelligi enim debet.

Assertio VI. Ad notitiam eiusmodi conditionatam, per se ac uniuersim non præsupponitur decretum in Deo, sub conditione simpliciter & absolute prædefiniens, quod tale quid sit futurum, adimpleta conditione; sed pleraque ex his cognoscuntur sine præuio eiusmodi decreto prædefiniente. Ita Molina, Suarez, Vasquez, Albertinus, & fere omnes authores tertiæ sententiæ, & recentiores Thomistæ omnes; qui sicut ad quemlibet effectum causæ secundæ absolute futurum prærequirunt eiusmodi prædefiniens decretum, sine quo aiunt nihil posse fieri, nec ullam omninò propositionem de futuro contingenti esse determinate ueram, aut falsam; ita etiam ad effectum sub conditione futurum requirunt eiusmodi præuio decretum, saltem conditionatum, ut dictum. Sed nos contrario fundamento nitimur, quod quæstione 10. probabitur: Nimirum nec ad absolute quidem futurum eiusmodi effectum, requiri decretum eiusmodi prædefiniens, seu prædefinitionem absolutam, quæ Deus simpliciter & absolute statuerit eum producere, vel ad eum concurrere; sed sufficere conditionatum decretum ad eum concurrendi, si se causa secunda ad eum determinauerit: esto nonnunquam ratione certæ materiæ, vel in particulari casu, quippiam. De v s ita prædefinerit, non tam ex necessitate & iuxta exigentiam ipsius per se, effectus, sed ob maiorem suæ prouidentie perfectionem, etiam salua libertate ipsius causæ secundæ.

Et ratio breuiter est. Quia ad hoc, ut causa secunda possit agere, plus non requiritur, quam ut eadem causa secunda, in actu primo, sit sufficienter instructa, ad eum effectum,

Deusque ipse per modum causæ primæ, paratus sit concurrere ad eundem. : at hoc esse & fieri potest, etiamsi Deus eiusmodi effectum absolute non prædestinat; modo paratus sit concurrere si causa secunda se determinet. Ergo, &c. Maior probatur, quia ad ipsum effectum, & actionem causæ secundæ plus non requiritur, quã vt & ipsa in effectum influat, & causa prima debet etiam concursus præbeat: Ergo vt possit agere in actu primo, sufficit & vis ipsius actiua in actu primo, & paratus concursus causæ primæ. Accedit quod vbi de peccatis agitur, nec potest quidem Deus absolute decreto statuere & prædestinare, vt sint, aut futura sint peccata, aut peccatorum actus; Et esto, prædestinare possit eorum permissionem; ex hac ipsa tamen non infallibiliter sequitur in particulari hoc vel illud peccatum, ac proinde nec in eo permissionis decreto cognosci poterit futurum peccatum, vt dub. 7. dicimus. Quod autem oppositæ sententiæ auctores ad actionem & effectum quemlibet causæ secundæ requirunt quoque externam eius prædeterminationem, id inferius q. 1. dub. 1. refutabimus, vbi docemus, eiusmodi prædeterminationem physicam pugnare cum libertate causæ secundæ.

25 Assertio VII. Scientia hæc diuina futurorum contingentium, propriè & strictè loquendo, tam à scientiâ liberâ visionis, quam à necessariâ simplicis intelligentiæ ratione distincta est; ac proinde rectè scientia media dicitur. Hæc assertio ad modum loquendi pertinet; de quo etsi non sit magnopere contendendum, siue quis eam scientiam hoc, siue alio modo, ex dictis, velit appellare, vt supra auctores variè loquentes retulimus; in omni tamen sententia admitti debet, eam à scientiâ visionis & simplicis intelligentiæ, si strictè accipiantur, distingui; esto possit vtraque etiam ita late accipi, vt eam scientiam conditionatam, seu futurorum contingentium conditionatorum complectatur. Scientia enim visionis, vt ex sancto Thoma dictum dub. 3. propriè & strictè non est, nisi rerum actu quandoque existentium; quæ proinde toto suo genere libera est in Deo; scientiâ quoque simplicis intelligentiæ solum est de rebus consideratis secundum esse possibile; quæ proinde non solum ex genere suo, sed etiam respectu particularis cuiusque obiecti est necessaria in Deo: scientia autem hæc conditionata, de qua loquimur, nec est rei actu quandoque existentis, vt talis est; quæ de causâ etiam ex suo genere necessario est in Deo; neque est rei solum spectatæ secundum esse possibile, siue secundum esse essentia, sed etiam secundum esse existentia contingentis; non quidem absolutæ, sed conditionatæ: quæ de causâ etiam libera quodammodo est respectu particularis cuiusque obiecti; potuit enim non esse in Deo, si causa ipsa secunda libera, à qua effectus hic depêdet, sicut absolute poterat, oppositum fuisset factura. Quæ cû ita sint, iure merito hæc scientia, vt pote de vtroque extremo participas, vt dictum, & nec tam necessaria, quam scientia simplicis intelligentiæ, nec tam libera, quam visionis; dici potest media; quicquid Zumel & Thomistæ re-

centiores repugnant: cum interim nec ipsi possint negare, adesse fundamentum sufficiens distinguendi eam ab vtraque scientiâ, tam visionis, quam simplicis intelligentiæ, si vtraque hæc propriè & strictè accipiat, vt dictum.

26 Sed contra doctrinam hætenus traditam, ac præcipue contra ipsammet scientiam conditionatam, seu mediam obijciuntur varia. Primum est, quod SS. Patres nonnulli videntur apertè hanc scientiam conditionatorum contingentium rejicere. S. Augustinus lib. 1. de prædestinat. Sanct. cap. 14. contra Massilienses, inquit, *Dictum est (Sap. 4. Raptus est, &c.) secundum pericula vite huius, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præsciuit, quod futurum erat; non quod futurum non erat, &c.* Et lib. 1. de animâ, & eius origine cap. 12. *Ipsa exinanitur præscientia omnino, si quod præscitur, non erit. Quomodo enim dicitur præsciri futurum, quod non est futurum?* Et in eundem sensum S. Prosper episc. ad S. Augustinum contra Semipelagianos. seu Massilienses: *sed in tantum, inquit, quibuscumque communitatis meritis electionem Dei subiungunt, ut quia præterita extant, futura quæ non sunt futura, consingant, non uoque apud illos absurditatis genere, & non agenda præscita sint, & præscita non acta sint.* Similia contra Arianos, qui & ipsi quoque scientia conditionata abutebantur ad suum errorem stabilendum, habet Alexander Episcopus Alexandrinus in epistola ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum, quæ habentur in Concilio Nicæno.

27 Responderetur, S. Augustinum, & Prosperum rejicere, ac damnare in Massiliensibus eiusmodi scientiam mediâ futuræ cooperationis, quæ fuerit causa & ratio, cur aliqui eligerentur ad fidem, & fidei sacramentum; alij rejicerentur: ac simul cum negant, præsciri quod futurum non est, &c. apertè loquutos de scientia Dei absoluta; qualis ad verâ meriti, vel demeriti imputationem requiritur; quæ vti que præuiso euentu nunquam frustratur. Et quamuis Massiliensibus conditionata solum scientia loquerentur, rectè tamen illi, & iuxta subiectæ materiæ exigentiâ, ad præscientiam absolutam transitum faciunt; hæc ratiocinatione tacite supposita; si præscientia operum quicquam ad hoc conferret, vt Deus aliquibus fidem aut fidei sacramentum tribueret; alijs negaret; tum sanè ea præscientia deberet esse absoluta, qualem suo euentu frustrari absurdum est: conditionata enim illa scientia, seu etiam opera ipsa sub conditione præscita, quæ nunquam erunt, nunquam possunt ad verum aliquod meritum vel demeritum imputari. Alexander autem solum rejicit præscientiam conditionatam operum bonorum, quæ fuerint causa cur CHRISTVS, seu filius Dei, esset filiatione adoptiua à DEO donatus. Neque nouum est, hæreticos bonis etiam subinde principijs abuti ad suos errores stabilendos: sicuti Lutherani ex eo, quod Christus meritis est omnibus vitam æternam, inferunt bona opera non esse necessaria, nulla esse merita nostra, sufficere solam fidem. Caluiniani ex præscientia DEI absoluta, inferunt necessitatem absolutam, & negant liberum arbitrium. &c.

28 Secundo obiicitur. Nihil est scibile nisi aliqua necessitate necessarium, sed ante omne decretum diuinae voluntatis, non est aliqua necessitate necessarium, etiam necessitate consequentiae, quod Petrus positus in talibus circumstantiis, & cum talibus auxilijs, non applicantibus efficaciter ei voluntatem ad conuersionem, infallibiliter conuertatur: Ergo non est scibile etiam à Deo, quod conuerteretur. Minor probatur, tū auctoritate Aristotelis l. 1. de interpret. c. 8. ubi docet, propositiones de futuro contingenti secundū se non habere determinatā veritatē, aut falsitatem; quia contingens in quantū contingēs se habet omnino indifferenter ad vtrumlibet. Idem docet S. Thomas 1. p. q. 14. a. 13. ubi ait; contingēs, vt est in sua causa, consideratur vt futurū, & vt contingens nondum determinatū ad vnum; quia causa cōtingēs se debet habere ad opposita; & sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni; vnde quicumq; cognoscit effectū cōtingētē in causa sua tantum, non habet de eo nisi coniecturalem cognitionem. Idem docet q. 57. a. 3. & q. 88. a. 3. & 4. & 16. de malo a. 7. Accedit ratio. Nam impossibile est, vt aliquis effectus sequatur necessariō, necessitate consequentiae, seu necessitate infallibilitatis; ex causa defectibili & impedibili per concursum aliarum causarum; nisi talis causa determinetur ad talem effectum ab aliā causa superiori, quae deficere non possit, nec impediri per alias causas: sed Deus non determinat causas defectibiles ad particulares effectus, nisi per decretum suae voluntatis: Ergo ante huiusmodi decretum, non est necessarium necessitate consequentiae, siue necessitate infallibilitatis, quod voluntas creata, quae ex sua natura defectibilis est & impedibilis, consentiet obiecto sibi proposito, si constituat in talibus circumstantiis.

29 Respondeo; Maiorem esse veram, loquendo de scibili scientifico, quod nempe ad scientias pertinet; falsam, si vniuersaliter accipiatur de quouis particulari scibili: infinita enim à Deo, nobisque ipsis sciuntur, quae tamen non sunt necessaria, seu infallibilia, nisi ex suppositione ipsius scientiae, aut existentiae, seu futuritionis. Videmus enim, & scimus infallibiliter Petrum ambulātem, stantem, cum ambulat, stat, &c. & tamen Petrum ambulare non est necessarium. Ita etiam Deus omnia contingētia absolutē futura praenouit: quae tamen non sunt futura necessario, nisi ex suppositione ipsius futuritionis, siue scientiae; & hanc ipsam necessitatem infallibilitatis, nimirum ex suppositione ipsius determinatae veritatis, seu futuritionis, seu etiam ipsius scientiae diuinae, habent omnia futura contingētia tam absoluta, quam conditionata. Nam posito, quod semel sint determinatē futura, fieri nulla ratione potest, vt non sint futura; adeoque sunt infallibiliter futura, siue absolutē, siue sub conditione. S. Thomas autem solum docet ista contingētia non posse certo cognosci in sua causa; quod cum verum sit, vt sequenti dub. dicitur, repugnat his ipsis autoribus, qui hoc obiiciunt. Nā si causa ipsa ad vtrumlibet se habet; ergo nulla est praefinitio absoluta effectus, aut saltem

nulla praedeterminatio physica causa secunda: cū vtique causa physica iam aliunde praedeterminata, non se habeat indifferenter ad vtrumlibet, vt alibi fufius dicitur. Aristoteles autem falsus est, aut eodem sensu accipiendus, vt dicitur dub. sequenti.

Obiicitur tertio. Si eiusmodi propositiones conditionales essent verae, essent etiā bonae consequentiae; quia omnes istae propositiones simul sunt etiam consequentiae; & veritas earū idē est, quod bonitas consequentiae, vt docent dialectici, & S. Thomas 1. p. q. 44. a. 1. ad 2. & q. 1. de potent. a. 6. ad 3. sed nō sunt bonae consequentiae: tum quia non sunt necessariae; cum tamen omnis bona & formalis consequentia sit etiā necessaria: in quē sensum etiam S. Thomas opus. 48. trac. de enuniat. c. 14. docet, omnē conditionalē verā esse necessariam; & omnem falsam esse impossibilem; ac proinde nullam contingētem. Tum quia in eiusmodi propositionibus, consequens non est scibile in antecedente, vt fit in bona consequentia. Tum quia in bona consequentia non potest antecedens esse verum, & consequens falsum; quod hic accidit.

Respondeo, bonitatem consequentiae duplicem esse, formale vnam, de qua procedit obiectio, cum adductis probationibus, qualem fatemur nō conuenire huiusmodi propositionibus. Altera est bonitas consequentiae alicui soli particularis, & quasi materialis; quae nimirū solummodo nititur particulari conexione consequentis cū antecedente, ex propria subiectae materiae conditione, & habitudine desumpta: in quibus proinde etiam particula si non tam illatiuē, quam concomitanter accipitur: Et haec sufficit in his propositionibus, alioquin omnes istae propositiones erunt falsae, quas quotidie formamus: si veneris ad me, si pro me apud Regem intercesseris, dabo tibi equum. Si fuisses herimecum, impetrasses munus postulatū, &c. Neq; de his consequentijs procedunt adductae probationes, sed de propositionibus conditionalibus scientificis, & vniuersalibus, quales in scientijs vsui esse possunt, vt rectē Vasquez n. 25. Ad horū autē, de quibus agimus, veritatē & bonitatē sufficit, vt significata per eas concomitantia consequentis cū antecedente sit à parte rei, atq; adeo hic & nunc posito in Esse antecedente, ponatur consequens, etiam si liberē ponatur & contingenter.

31 Possunt tamen eiusmodi propositiones hypotheticae, si quidē, antecederē earū nō absolutē, & nudē secundū se, sed respectiuē, & vt ex suppositione conexū est, cū consequēte, accipiatur, redigi etiā in consequētia formales; quo casu & consequentiae ipsae erūt necessariae, & cōsequēs nō min⁹ habebit infallibilitatis necessitatē, & hypotheticā, q̄ antecedens; neque etiā stante veritate antecedentis, & in sensu cōposito vnquā poterit cōsequēs esse falsum. Vt si dicas quādo cūq; duo sunt conexa, tūc cū vnū eorū erit, etiā alterū erit: sed ista duo, videlicet antecederēs & cōsequēs, sunt, & supponuntur in re conexa. Ergo cū aliqd eorū erit, etiā alterum erit. Atq; si hoc modo antecederēs accipiatur, prout in se cōnexum est cum consequēte, & nō absolutē secundū se tantū, tunc potest q̄dem ipsum etiā esse medium cognoscendi consequēs; sed ipsa tamen connexio aliunde debet esse perspecta.

32 Obijcitur quartò. Deus ante omne decretū suæ voluntatis, nō scit quot homines, vel Angelos esset producturus, si crearet alium mundū: Ergo similiter ante idē decretum non scit, quot act⁹, vel quales esset producturus quilibet homo, si crearetur & constitueretur in tali ordine rerū. Respōdeo. negando cōsequentia; & rationem, ommissis varijs, quas alij assignant, hanc reddo; quia implicat, vt Deus ante decretum suum, prædeterminans quicquā ex ijs, quæ ab ipso solo pendent, operetur ad extra; vel vthorum fiat quicquam, aut futurū sit, ante decretum eiusmodi diuinum: sed nil obstat, quo minus libera creatura operetur, ante decretū diuinū prædeterminans, vt superius dictū. Iā autē creare Angelos, aut nō creare, etiam posito quod Deus crearet alium mundum, pendet à solo decreto Dei prædefiniēte; ante quod neutrum determinatē futurum est.

33 Dices; saltē si Deus crearet alium mundū huic similitē, adeoq; simul cum Angelis, tūc certū etiam aliquem Angelorum numerū creaturus esset; v.g. aut mille tantū; quo facto eū inter hæc duo cōtradictoria non detur mediū, alterutrū necessario ex ea conditione futurū esset: Ergo Deus tunc saltem nosse deberet alterutrū determinatē, millēne tantū an nō tantū mille creatur⁹ esset ex ea hypothesi. Respondetur, negando consequentiam; quia nec tunc quidē ex ea conditione alterutrū determinatē futurū esset; sed indeterminate alterū: sicut. n. posito, quod crearet mundū, à solā ipsi⁹ voluntate penderet, simul etiā Angelos creare, vel nō creare; ita quoq; si crearet Angelos, ab eius solius voluntate & decreto penderet, tot numero Angelos creare, vel plures. Quocirca propositiones eiusmodi continent antecedens planē abstractū & indefinitum respectu consequentis; quo casu iam superius asser. 4. dictum, eiusmodi ppositiones à Deo non cognosci; q̄a reuera consequēs ex tali conditione determinatē nec futurū, nec nō futurū est. Perinde est enim dicere; si Deus crearet aliū mundum, crearet Angelos: aut crearet mille tantum; aut non tantum mille; ac si dicas; si Deus de nouo crearet hominem aliquem in abstracto, tum is foret salu⁹, aut habiturus esset has vel illas operationes &c. quod à Deo sciri ibidem negauimus. Quod si in propositione illā; si Deus crearet alium mundum, crearet tot Angelos, &c. antecedens tacitā quadam subintellectione compleatur, adeoq; non ita nudē planē & inadæquate, sed cum respectu ad ipsum decretum diuinum, cum quo re ipsa necessario coniunctum foret, accipiatur; tum vtique etiā à Deo infallibiliter cognoscetur. Erit enim tunc iste sensus; si Deus crearet mundum, simulq; vtique necessariò esset futurum, certum numerum Angelorum & hominum præfinsisset, sciret vtique quot homines, vel Angelos esset producturus. Vt proinde in genere, & quoad formalem quasi rationē, & doctrinam, inter futura contingentia, respectu Dei, & hominum, seu creaturarum; eorumque scientiam, nulla sit differentia; si modo comparatio debito modo instituat.

34 Obijcitur quinto. S. Thomam, aliosque Theologos duo tantum membra diuinæ scientiæ assignasse; sub quorum neutro tamen hæc contingen-

tium futurorum sub conditione comprehenditur, si stricte & proprie loquamur; signum ergo est, ab eis non fuisse agnitam. Responderi potest primò, negando consequentiam. Quia diuisione illa respexisse illi videntur solum ad obiecta absoluta, non conditionata; cum tamen interim negari non possit, eos pro occasione passim & agnouisse, & docuisse scientiam etiam hanc conditionatam, si de re ipsa loquamur: nisi quis adeo iniquus erga illos esse velit, vt existimet, eos non intellexisse, aut sciuisse, quæ in scripturis, & Patribus, adeo manifestè sunt tradita, vt vidimus. Accedit, quòd nec Thomistæ quidem recentiores hoc tempore absolutè negare audent, Deum eiusmodi futura conditionata scire; cum saltem fateantur scire, post decretum suū illud prædeterminans; & tamē hæc ipsa notitia æquē parū sub duobus illis mēbris scientiæ diuinæ comprehenditur, quam si absq; eo decreto diuino præscirentur, vt ex dictis colligi potest. Respōdeo secundò, S. Thomam, & Scholasticos veteres, scientiam hanc mediam comprehendisse, vel sub scientia visionis, vel simplicis intelligentiæ; prout etiam nunc Theologi aliqui ad vnam ex his eam reuocant, vti superius dictum. Interim non obstat, maioris claritatis & perspicuitatis causa, & ad omnē æquiocationē tollendam, eam proprio vocabulo *scientiam mediā* dicere; cū & alij termini disciplinæ causa à Theologis, alijsque scientiarum tractatoribus successiue plures sint inuenti: quicquid Zumel loc. citat. sine causa eam *scientiæ mediæ* appellationem acrius perstringat.

#### DVBIVM VI.

*Quaratione Deus cognoscat futura contingentia; an mediate in se ipsis, vel in causis eorum; velex reali eorum presentia ab æterno.*

Ad S. Thom. 1. p. q. 14. a. 13.

Expeditā quæstione An est, de cognitione futurorum contingentium; sequitur vt explicemus etiam quæstionem propter quid, eo modo, quo in actibus diuinis ratio agendi, siue propter quid locū habere potest. Et vero cum multa sint, de quibus queri potest, an sint ratio quædam cognoscendi futura contingentia, nimirū. 1. ipsa futuritio, seu veritas ipsorum futurorū contingentium. 2. causæ eorundem. 3. realis eorum presentia ab æterno. 4. Deus ipse, & quidem sub varia ratione eadem representans; siue per modum idææ, aut causæ, siue vt in decreto diuinæ voluntatis; de quibus singulis variæ sunt Doctorum sententiæ; idcirco de his omnibus sigillatim agendum est: & hoc quidem dubio, de tribus illis rationibus huius cognitionis, quas nonnulli extra Deum ipsum pro ratione futura cognoscendi assignant; sequenti vero dubio de quarto, qui est Deus ipse. Et quia eadem ratio est in presentia futurorū contingentium absolutè, & sub conditione, de vtrisque simul agendum est.

Obfer-



Observandum autem; cum ad quamlibet cognitionem duo concurrant potentia nimirum ipsa cognoscens, seu vis cognoscitiva potentia, & obiectum, quod cognoscitur: in quo rursus duo distinguenda debent, ratio videlicet terminandi potentiam, & ratio eandem representatione obiecti, aliquo causalitatis modo mouendi & determinandi ad cognitionem, ut dictum supra dub. 3. assert. 4. in presenti non esse controuersiam, de ratione cognoscendi futura contingencia, ex parte ipsius potentia; hanc enim omnes fatentur esse infinitam in Deo vim cognoscendi, sed de ratione cognoscendi ex parte obiecti.

2 Assertio I. Ratio cognoscendi futura contingencia, seu absoluta, seu conditionata, ex parte obiecti, sub ratione terminantis cognitionem, est quidem ipsa futuritio eiusmodi futurorum contingentium. Hæc est extra controuersiam, & patet ex ipsis terminis. Quia illud est ratio cognoscendi sub ratione termini, quod formaliter terminat ipsam scientiam; sed cognitionem futurorum contingentium terminant ipsa contingencia futura, ut futura; sub hac enim ratione à Deo cognoscuntur: Ergo ipsa contingencia futura, ut futura, seu quod idem est, ipsa futuritio eorundem, est ratio cognoscendi. Et quamuis diuina cognitio nullo modo pendeat à creatura, ut dictum supra du. i. requirit tamen terminum, qui ut sic quidem non habet rationem alicuius causæ vel medij cognoscendi; rectè tamen secundum rationem nostram à nobis assignari potest ratio quasi Metaphysica ipsius cognitionis; sicut pro ratione cur aliquis sit pater, assignamus hanc, habere filium.

Et procedit hæc assertio, siue interim dicamus, propositiones eiusmodi de futuro contingenti esse determinatè veras, aut determinatè falsas, siue non: de quo non existimo inter Doctores esse posse, nisi nominis quæstionem; eius fere generis etiam est illa quæstio, an aliquod nomen significet Deum quidditatiuè, de qua supra q. 7. dub. 4. Certum enim est; non esse determinatè veritatis, respiciendo ad significata earum, ut præcisè cognoscuntur intellectu humano; siue denominationem sumendo ab ea cognitione, quam nos homines de ipsis habemus, inter quos significant, & à quorum cognitione non parum dependet modus significandi nominum, ex dictis citat. quæst. 7. dub. vlt. si enim nobis determinatè verum vel falsum significarent, sciremus utique determinatè veræ ne essent, an falsæ; cum tamen hoc plane nesciamus.

3 Secundo etiam determinatè veritatis non sunt, si præcisè spectentur, ut sunt in suis causis adhuc indeterminatis: hæc enim indifferenter se habent ad vtrumlibet, id quod expresse docet Sanctus Thomas hic quæstione 14. artic. 13.

Tertio tamen respectu cognitionis diuinæ, procul dubio sunt determinatè veritatis; quandoquidem Deus determinatè nouit, vnum eorum futurum, alterum non futurum.

Quarto etiam ex parte obiecti complexi, alterum sane ex ijs determinatè futurum est,

alioquin ne sic quidem à Deo cognoscerentur: id quod solum argumenta eorum probant, qui absolute docent, esse determinatè veras; tamen nos interim nesciamus, vtra ex duabus contradictorijs sit determinatè vera. Vbi etiam aduertendum, aliud esse, an aliquid sit determinatè futurum; aliud an significetur ut determinatè futurum; sicut aliud est, rem aliquam secundum se esse certam; aliud, ut certam significari; illud enim respicit rem ipsam, siue obiectum secundum se; quod si quidem omnino futurum est, utique determinatè futurum est; alias enim nec à Deo quidem, ut dictum, determinatè futurum cognosceretur: *significare* autem, relatiuum est, & respectum habet, tam ad rem significatam, quam ad illum cui aliquid significatur, ut supra supra dictum q. 7. dub. 4. & potest aliquid obiectum habere certum modum veritatis, seu cognoscibilitatis; cum tamen sub eo veritatis aut, cognoscibilitatis modo non significetur.

4 Quocirca cum quæritur; An propositiones de futuro contingenti (in significando) sint, determinatè veræ, aut determinatè falsæ, responderi potest cum hac distinctione: Aut quæstio est, an determinatè significant verum, vel falsum, qua tale est; & tunc commode respondebitur, nobis quidem; & plerumque etiam Angelis, non determinatè significare, verum vel falsum, sed Deo: non enim significatur oratione cuiuspiam aliquid, nisi quod ab eo cognoscitur, & modo quo cognoscitur, iuxta dicta citat. quæst. 7. dub. 4. à nobis autem determinatè non cognoscitur eorum veritas, ut dictum. Aut quæstio est, an secundum se & à parte rei significatio talis obiecti conformis sit, vel disformis rei significatæ, an non; & tunc dicendum est, esse determinatè veras, vel falsas.

Atque hæc ratione fere conciliari poterunt diuersæ, ac in speciem pugnantes hæc de re Doctorum sententiæ; quorum aliqui absolute affirmant, esse determinatè veras vel falsas; alij vero absolute negant. Affirmant post Richardum, Bonauenturam, Scotum, Capreolum, Maiorem, Ockamum, Gabrielem, Arimincensem in 1. distinct. 38. vel 39. Sotus in caput. 9. epistol. ad Romanos, Corduba lib. 1. quæst. 55. dub. 2. Suarez opusc. 2. lib. 1. cap. 2. Vasquez hic disput. 66. capit. 2. Conimbricenses, & Rubius in Logica, & alij quidam recentiores. Negant disertè Aristoteles lib. 1. perihermen. capit. 6. eiusque interpretes communiter, speciatim Alexander, Ammonius, Sanctus Thomas, Louanienfes, & Toletus ibidem, item Aureolus in 1. distinct. 39. quæst. 1. artic. 1. Carthusianus de veritat. enunt. Molina hic quæst. 14. art. 13. d. 17. (vbi hanc sententiam vocat communem) & disp. 18. memb. 1. Zumel in 1. d. var. dub. 3. & dub. 5. Palatius, & multi Thomistæ recentiores, ut fatentur Vasquez, & Suarez loc. cit. Idem fere habet Gregorius de Valentia hic quæst. 14. p. 5. §. 3. vbi ait,

ad modum explicatum, *verissime pronuntiasse Aristotelem loco citat. Propositionem de futuro contingente non esse determinatè veram aut falsam, sed indifferentem ex se ad utrumlibet.* His adiungo Albertinum tom. 1. princip. Phil. 4. dub. 1. ubi contra Vasquez, & alios, noua distinctione vtramque sententiam conciliat; & simul Aristotelem hac de re rectè philosophatum esse contendit, quem qui volet consulat.

Equidem sanè probare non possum, quod quidam recentiores (præunte Vasquezio loc. citat.) adeo sententiam affirmatiuam firmiter defendant, vt simpliciter & absolutè etiam quasi de fide certam asserant, & contrarium erroris & insipientiæ arguant: cum tamen, vt dixi, inter Catholicos hæc quæstio non videatur esse, nisi de nomine; quicquid sit de mente Aristotelis, quem multi etiam ex auctoribus primæ sententiæ, in bonum sensum interpretantur; nec improbabiler omnes, vt fatentur Conimbricenses; tamen etiam alij, in quibus Vasquez & Suarez locis citat. re ipsa errasse existimant, quasi non in se, nec apud Deum sint determinatæ veritatis, de quo non disputo. Et sanè qui tam acri censura oppositam sententiam damnant, in ipsum etiam Sanctum Thomam incurunt, qui non solum in explicatione Aristotelis, sed etiam in summa sua 2. 2. qu. 171. artic. 3. in corp. Aristotelis loquendi modum retinuit, cum his ipsis verbis ait: *Contingentium futurorum veritas non est determinata.* Sed hæc obiter de quæstione philosophica dicta sunt, quam ex instituto Philosophis ventilandam relinquo. Nos quæ sunt reliqua præsentis dubitationis prosequemur.

Assertio II. Ipsa futuritio eiusmodi futurorum contingentium, seu quod idem est, veritas eiusmodi propositionum, de futuro contingenti, non est ex parte obiecti adæquata & sufficiens ratio in Deo, eiusmodi futura cognoscendi. Ita Durandus & Richardus in 1. d. 38. & est ex mente Doctorum communiter; qui propterea aliam etiam rationem cognoscendi ex parte obiecti necessario assignandam censent, vt videbimus. Est autem hæc assertio contra Vasquez hic d. 65. c. 4. & 1. 2. d. 189. n. 116. quibus locis ait: se hanc rationem primū adinuenisse ex Scoto in 1. d. 39. q. 1. à pluribus recentioribus postea approbatam; nimirum ad hanc cognitionem ex parte potentiæ, sufficere infinitatem diuini intellectus; ex parte obiecti, ipsam determinatam veritatem futurorum contingentium. Ratio assertionis est manifesta. Quia, vt superius dictum, duplex est officium obiecti, & utroque modo obiectum ratio quædam est cognoscendi; primum est terminare cognitionem: alterum est representare seipsum, seu mouere & determinare potentiam: prius quidem abunde præstat ipsa veritas, seu futuritio contingentium futurorum: sed posterius officium, seu concursus per modum causæ mouentis & determinantis potentiam respectu diuinæ cognitionis, non potest vllū præstare creatum obiectū: ac multo minime id quod nec dum vllam existentiam habet, vt dictum supra hac quæst. dub. 1. & 2. Ergo aliquid aliud assignandum est, quod hunc obiecti concursus in hac diuina cognitione suppleat.

Assertio III. Etsi rectè quidem aliquo sensu dici possit, futura contingentia cognosci à Deo in se ipsis; non tamen ita vt significetur ea ipsa, seu futuritionem eorundem, esse rationem sufficientem ex parte obiecti, eadem cognoscendi. Posterior pars patet ex assert. præced. prior pars indicatur à S. Thoma hic q. 14. a. 13. ubi ait: *Deus cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodq. eorum est actu in se ipso.* Idem ex sua, & S. Thomæ doctrina docet expressè Vasquez d. 64. n. 34. Idem aperte tradunt illi, qui vniuersim docent Deum cognoscere creaturas in se ipsis, licet id quidam negent, vt dictum supra hac quæst. dub. 3. assert. vlt. Vnde etiam sumitur ratio; quia cognosci aliquid in se ipso vno quodā sensu, id est, quod cognosci secundū se, siue per se ipsum terminare scientiam; quod de futuris contingentibus respectu diuinæ cognitionis, verissime dicitur.

Assertio IV. Deus non cognoscit futura contingentia libera, seu absoluta, seu conditionata, in suis causis secundis adhuc indeterminatis, vt futura; sed vt possibile tantum. Primam partem tradit S. Thomas hic q. 14. a. 13. ubi dicit, *Contingens futurum, vt consideratum in sua causa, non subditur per certitudinem alicui cognitioni. Vnde quicumq. cognoscit effectum contingentem in sua causa tantum, non habet de eo nisi coniecturalem cognitionem.* Idem docet q. 57. a. 3. & q. 88. a. 3. & 4. & q. 16. de malo a. 7. Idem docent Capreolus in 1. d. 38. q. vn. a. 2. Vasquez d. 64. n. 39. & d. 65. num. 20. & sequuntur Thomistæ, alijque Theologi communiter: licet oppositum teneat Gregorius de Valentia hic qu. 14. punct. 5. §. 2. Vbi concedit Deum non quidem rectè, & infallibiliter vt sic, sed aliquo tamen modo cognoscere futura contingentia, etiam vt futura in suis causis, adhuc indeterminatis; idque putat docere S. Thomam hic q. 14. cit. a. 13. ubi dicit: *Deum cognoscere omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodq. eorum est actu in se ipso.* Sed aliud est cognoscere contingentia prout sunt in suis causis, quod dicit S. Thomas; aliud cognoscere futura in suis causis; quod nunquam dicit, neque sanè dici potest.

Ratio assertionis est. Quia omnis cognitio futurorum contingentium in suis causis est incerta & fallibilis, non solum negatiuè, & per abstractionem præcisionis, à certitudine & incertitudine, vt putauit Gregorius de Valentia; sed etiam positiuè & simpliciter; quia eo ipso, quod causæ ipsorum indeterminatæ sunt, & ad utrumlibet indifferentem se habent, non potest ex vi illarum certò & infallibiliter sciri, an aliquid futurum potius sit, quam non futurum: sed si quid per illas cognoscitur futurum, non potest ea cognitio non esse nisi incerta, & coniecturalis, adeoque fallibilis, vt rectè dixit S. Thomas loc. cit. sicut omnis cognitio rei per medium incertum, positiuè, vt ita dicā, incerta & fallibilis est: at vero in Deo non habet locum vlla incerta & fallibilis seu coniecturalis cognitio: Ergo nec scientia futurorum contingentium in suis causis.

Dixi vero *contingentia libera*, de quibus hic potissimum agimus; quia contingentiamerè naturalia possunt

possunt sane infallibiliter à Deo cognosci, etiam in collectione omnium causarum secundarum, supposito ordinario concursu ex parte Dei: quia ex tali combinatione & complexu causarum, naturaliter & necessario sequitur effectus eiusmodi naturalis, qui non dicitur contingens, nisi quia interuentu quarundam causarum secundarum potuit impediri; ex hypothese autem supponitur nullam eiusmodi causam interuenire, quæ impediat.

Dixi secundo, in causis indeterminatis, quia si loquamur de causis secundis iam determinatis ad unam partem, siue à Deo; siue potius à se ipsis, sic dubium non est, posse à Deo futura cognosci etiam certo & infallibiliter in suis causis, ut quo ad hoc bene docet Gregorius de Valentia loc. cit. post Durandum in 1. d. 38. q. 3. & consentiunt Thomistæ recentiores, speciatim Bannes & Zumel hic; tunc enim non sunt amplius indifferentes ad utrumlibet. Quia tamen dum causæ secundæ liberæ ponuntur iam ad agendum determinatæ (cum se ipsas fuomet influxu seu concursu ad agendum determinent) eo ipso simul etiam ponuntur agere & influere in effectum; idcirco dum Deus ita contingentia futura cognoscit, non tam ea cognoscit in suis causis, seu ex vi causæ, quam simul cum ipsa causâ, iam determinatâ ad agendum, & recte notauit Vasquez l. cit. disp. 65. num. 20. Quicum in 1. 2. d. 189. n. 116. ait: *Deum etiam cognoscere effectum contingentem futurum, puta liberam hominis cooperationem ad bonum, ex vi causæ, siue ex vi talis cogitationis contemperate cum arbitrio, ne sibi contradicat, ita intelligendus est, ut vel uocula, Ex vi causæ, non appellet ipsum scire, quasi videlicet Deus ex vi causæ, tanquam obiecti cogniti, sciat futurum, sed ipsam effectus futuritatem ex vi causæ; vel certe velit, ex vi talis cognitionis congruæ, non secundum se spectatæ, sed prout per scientiam mediam sub conditione iam coniunctâ liberæ determinationi ipsius hominis, certo & infallibiliter cognosci futurum, consensum hominis.*

Secundam partem assertionis tradit S. Thomas hic cit. q. 14. artic. 13. illis ipsis antea citatis verbis cum dicit, *Deum cognoscere omnia contingentia, prout sunt in suis causis*; quia contingens ut est in sua causâ, solum est possibile; potest enim esse & non esse. Idem veluti certum & extra controuersiam supponit Gregorius de Valentia loc. cit. nec ullus est, qui neget. Ratio est. Quia in causâ etiam contingente necessario continetur effectus, ut possibilis: est enim de ratione talis causæ, ut ab ea possit esse effectus: ergo etiam cognitâ tali causâ, certo infallibiliter cognoscitur effectus secundum esse possibile: Deus autem distincte nouit omnes causas contingentes: Ergo etiam effectus contingentes ut posibles in suis causis. Neque tamen ideo Dei cognitio sumitur & pendet ab obiecto creato. Non enim dicitur cognoscere effectum velut in causâ ipsius cognitionis, aut quasi ab eovllo modo dependeat; sed quia nostro concipiendi modo, cognitio ipsius causæ hac ratione prior est in Deo, quam cognitio effectus futuri qua possibilis; esto aliaratione esse possibile, rei prius sit ratione, quam poten-

tia eius producendi, ut quæst. 10. dicitur.

Assertio V. Deus etiam non cognoscit futura contingentia (seu absoluta, seu conditionata) in reali & actuali, seu formali eorum existentia ab æterno: nullam enim talem habent. Ita post Durandum, Scorum, Bonauenturam, Heruæum, & alios in 1. d. 38. vel 39. docent Gregorius de Valentia hic q. 14. punc. 5. §. 2. Suarez opusc. 2. l. 1. cap. 7. Vasquez disp. 64. cap. 3. contra Richardum in 1. d. 38. Capreolum d. 36. Ferrariensem 1. cont. gent. cap. 66. & 67. Catharinum opusc. de præsentia & prouidentia Dei, Caietanum, Bannem, & alios recentiores Thomistæ hic q. 14. art. 13. qui docent, res omnes futuras, adeoque & futura contingentia (absoluta, non conditionata) esse Deo præsentia ab æterno, non tantum secundum esse cognitum seu obiectiuum, sed etiam secundum propriam, realem, & actua-lem suam existentiam ab æterno; in qua proinde docent eadem futura contingentia absoluta à Deo ab æterno infallibiliter præcognosci. Eandem sententiam tribuunt recentiores Thomistæ S. Thomæ hic q. 14. artic. 13. dum ait: *Omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, quæ habet rationes rerum apud se præsentis, ut quidam dicunt, sed quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentia. Unde manifestum est, quod contingentia & infallibiliter à Deo cognoscantur, in quantum subduntur diuino conspectui secundum suam præsentiam; & tamen sunt futura contingentia sui causis comparata.*

Contra istorum vero sententiam multi non secus disputant, ac si de re ipsa esset controversia; an creaturæ ullæ existant, aut existerint ab æterno. Sed ut recte aduertit Vasquez loc. cit. cap. 2. & clarum est legenti Caietanum hic, authores isti in re aliud non volunt, quam creaturas omnes in quolibet nunc, aut instanti non temporis, sed ipsius æternitatis, quæ tota simul est, tunc, cum sunt, esse præsentis, & coexistere æternitati ipsius Dei; quod in re verissimum est. Potius igitur culpandus loquendi modus, cum præterea dicunt, res istas futuras, Deo semper præsentis esse secundum esse suum reale & actuale, item ab æterno esse; item nunc existere in æternitate; seu Antichristum nunc coexistere Deo in æternitate (ut videre est apud Caietanum, & alios recentiores Thomistæ).

Res interim constat. Quia de fide est, mundum, adeoque res istas, ab æterno non fuisse creatas seu productas: aliud verò esse reale ac proprium non habent, quam creatum ac productum; nec aliunde, quam per creationem seu productionem: & sicut extrinseca duratione prius non durant, quâ propria & intrinseca duratione sua durent, seu priusquam propriam durationem habeant; ita nec alteri coexistunt, priusquam intrinsecâ propria & creata existentia existant; quod non fit, nisi per productionem extra suas causas. Cum igitur authores contrariæ sententiæ fateantur; ab æterno non fuisse productas, necesse est fateri etiam, ab æterno non extitisse seu coexistisse Deo, propria & reali existentia: et tunc cum

existunt, vere de illis dici possit, eas coexistere Deo in aternitate.

Neque verò ideo, quia coexistunt aliquando toti in se, & indivisibili aternitati, ideo ab aeterno, aut semper in aternitate existunt; aut nunc (quando nec dum sunt) in aternitate coexistunt Deo, ut per se notum videretur.

Quod si propterea præcisè Deus habet certam notitiam futurorum contingentium, quia tunc, cum existunt, coexistunt illi in mensura aternitatis secundum illud esse reale, quod habebunt, in tempore; tum etiam Angeli itidem cognoscunt futura contingentia, quandoquidem & hæc, cum existunt, coexistunt Angelo in ævo, quod itidem totum simul est & indivisibile, ac mensura superior ad nostrum tempus. Non nego, per consequentiam & remote, ex futura illa coexistentia cum aternitate, colligi & inferri posse Deum, cognoscere non tantum res illas cum præsentibus existunt, sed etiam futuras: sic enim argumentari licet. Deus omnia tunc cum existunt, cognoscit, ergo etiam cognoscit futura contingentia, tunc cum existunt; ergo cognoscit etiã ab aeterno, antequam existant, adeoque futura; quandoquidè & scientia Dei, & Deus ipse penitus est immutabilis, neque de nouo cognoscere quidquam potest. Sed negamus ideo, quod aliquando existentiam; in aternitate habent, tunc nimirum cum existunt, ideo ab aeterno coexistere Deo; aut eam ipsam ob causam propriè & immediatè etiam ab aeterno cognosci à Deo, ut dictum.

3 Nec his obstat S. Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 17. ubi ait. *Apud Deum præterita & futura stant. Et lib. 5. cap. 16. Apud Deum nec præterita transferuntur & futura iam facta sunt.* Et soliloq. cap. 26. *Tu vero nosti, quoniam quod ego per successus dierum & temporum, hinc ad mille annos huius temporalitatis expecto, in conspectu aternitatis tuæ iam factum est, & quod futurum est, iam factum est.* Similia habet idem Augustinus lib. 2. ad Simplicianum, item S. Gregorius lib. 20. moral. cap. 23. vel 24. Boetius lib. 5. de consol. prosa vlt. Anselmus opusc. de concord. lib. arbit. & præd. cap. 2. Hugo de S. Victore in sum. sent. trac. 1. cap. 12. Primò enim si quid his locis, contra ea, quæ diximus probaretur, illud etiam maximè probaretur, res omnes ab aeterno fuisse productas; quod ipsi tamen etiam aduersarij negant. Deinde Patres isti plus non volunt, quam in ipsa aternitate, & scientia DEI nullam esse successionem; & omnia etiam præterita & futura à Deo cognosci perinde ut præsentia; imò etiam plane præsentia Deo esse, sed obiectiue.

Quare etiam S. Gregorius loc. cit. nostræ sententiæ apertè astipulatur cum ait: *Nam & quæcumque sunt, non ab aternitate ideo videntur quia sunt, sed ideo sunt (nimirum obiectiue præsentia Deo) quia videntur.* Eodem modo S. Thomas hic pro contraria sententiâ adductus, solum loquitur de præsentia obiectiua, & post Heruæum, Syluestrū, Dezam, Thomistas, contra Caietanum, & recentiores Thomistas, rectè declarat Vasquez hic disp. 64. cap. 5. & Gregorius de Valentia q. 14. punct. 5. §. 2. præsertim cum idem S. Thomas quæst. 20.

artic. 2. ad 2. diserte dicat, *creaturas ab aeterno non fuisse nisi in Deo.* Nec argumenta cætera contrariè partis quicquam habent momenti, ut videre, est apud Vasquez cap. 4. & facile ex dictis colligi potest.

#### D V B I V M V I I I

*Verum Deus cognoscat futura contingentia in seipso, & quæ ratione; num ut in idea, aut in decreto suæ voluntatis, &c.*

1 **A**ssertio I. Deus cognoscit plane omnia futura contingentia, tam absoluta, quam conditionata in seipso. Ita vniuersim. de rebus omnibus creatis docet S. Thomas hic q. 14. artic. 5. & 6. & est communis Doctorum sententia, ut docuimus supra dub. 3. Ratio est; quia cum scientia Dei sit plane independens ab omni obiecto creato; ut ibidem superius dictum, necesse est, ut sibi ipsi sit ratio cognoscendi eadem obiecta, quo sit, ut cognoscantur in ipso Deo tanquam ratione cognoscendi.

Assertio II. Deus futura contingentia non cognoscit in se ipso, ut præcisè in Idea. Ita Suarez opusc. 2. lib. 1. cap. 5. num. 7. Molina hic artic. 13. disp. 18. memb. 1. Vasquez disp. 65. post Ariminensem, Ockamum, & Gabrielem in 1. d. 38. Scotū. d. 39. & videtur esse mens S. Thomæ hic a. 13. ubi ait, *Omnia quæ sunt in tempore, sunt Deo ab aeterno præsentia (nimirum obiectiue) non solum ea ratione, quæ habet rationes (ideales) rerum apud se præsentibus, ut quidam dicunt; sed quia eius intuitus fertur ab aeterno supra omnia, prout sunt in sua præsentia. Est autem, ut apparet, assertio contra S. Bonauenturam in 1. d. 39. a. 2. q. 3. Durandum q. 3. num. 8. Caietanum, & quosdam recentiores Thomistas hic cit. art. 13. probatur. Tum quia ideæ formaliter sunt tantum de rebus faciendis non futuris, quæ futuris; imò secundum S. Thomam hic quæst. 15. art. 9. ideæ sunt etiam de rebus merè possibilibus: quæ de causa scientiæ absoluta futurorum contingentium, supponit quidem rationes ideales; sed ex ijs tamen immediate & adæquate non oritur. Tum quia ideæ rerum sunt simpliciter necessariae in Deo; scientia autem rerum futurarum, ut sic, est libera: non ergo ideæ ante actum liberum diuinæ voluntatis, adeoque nec per se, & ex natura suæ præcisè, repræsentant futura contingentia; siue de absolutis, siue de conditionatis sermo sit.*

2 **A**ssertio III. Deus etiam non cognoscit sufficienter futura contingentia, seu absoluta, seu conditionata, in solo decreto suæ voluntatis. Hanc assertionem fuscè probat Suarez cit. opusc. 2. lib. 1. cap. 6. contra Caietanum, & modernos Thomistas hic quæst. 14. art. 13. in quibus nominatim sunt Bannes ibidem, Zumel ibid. disp. 7. quibus in modo loquendi non nihil fauet Vasquez hic d. 65. c. 2. citans Richardum, Scotum,

Durandum

Durandum in 1. d. 38. & 39. Differt tamen re ipsa a Thomistis illis dupliciter: primo quia Thomistæ illi decretum diuinum, per modum obiecti cogniti, faciunt rationem cognoscendi effectus contingentes; Vasquez autem quia vniuersim negat, in cognitione intuitiua locum habere posse ratione cognoscendi per modum obiecti cogniti, vt dictum supra q. 6. dub. 8. vbi eam sententiam refutauimus, ait, ea solum ratione Deum in suo decreto cognoscere futura contingentia, quatenus decretum illud est causa futuritionis effectus, quæ ipsa denique sit proximaratio, cognoscendi ex parte obiecti. Secundo, quia Thomistæ illi recentiores pro fundamento supponunt, omnes effectus contingentes absolute ac particulatim prædefiniri & prædeterminari à Deo, vt videre est apud Zumel ibidem. vbi propterea ait; *si aliqui effectus contingentes non essent à Deo præordinati, & prædefiniti in particulari, absoluta voluntate, non possent in particulari infallibiliter cognosci in sola prædeterminatione diuinæ voluntatis; nisi simul cognosceretur & videretur determinatio causæ particularis.* Vasquez autem in liberis actibus nullam eiusmodi prædeterminationem absolutam admittit: & nos hoc loco supponimus, saltem vniuersim ad omnem actionem causæ secundæ eam prædeterminationem neque esse necessariam, neque re ipsa dari, quod quæst. 10. dub. 7. & 8. ex instituto probatur.

3 Quibus positis, contra Thomistas illos facile probatur assertio. Quia duplex in præsentis decretum Dei distingui potest; vnum absolutum; quo videlicet Deus absolute, & independenter à concursu causæ secundæ, adeoque ratione & natura prius, quam causa secunda seipsam determinet, aut etiam quam ea determinatio futura cognosceatur, velit rem aliquam fieri, seu esse futura, quæ vocatur absoluta prædeterminatio rei futuræ; seu etiam extrinseca prædeterminatio diuinæ causæ secundæ ad agendum. Et hæc esto per se non impediatur libertatem & contingentiam effectus (de qua res suo loco inferius) certum tamen est, ex communi & recepta sententiâ (extra scholam Thomistarum recentiorum) non dari in Deo de quibuslibet effectibus contingentibus, etiam non malis, multo vero minime de malis & peccaminosis, vt ex his quæ dicentur quæst. 10. suppono. Quamobrem licet respectu eorum effectuum contingentium, de quibus datur, sit ratio infallibiliter cognoscendi illa ipsa futura contingentia, vt fatetur etiam Suarez; tamen non potest esse ratio cognoscendi respectu aliorum. Imo nec respectu illorum saltem liberorum effectuum futurorum est totalis ac primaria ratio cognoscendi eiusmodi futura; cum decretum illud in Deo supponat scientiam mediam qua Deus scit, per causam liberam hoc futurum, si tali vel tali modo moueatur; sine qua præscientia mediâ nec posset, quidem Deus quidquam eiusmodi futurum liberum efficaciter & absolute prædefinire, vt dicitur eadem q. 10. dub. 8.

4 Alterum Dei decretum est, de exhibendo præcise concursu accommodato huic vel illi causæ liberæ, prout illa seipsam ad agendum hoc vel illud determinauerit; & hoc tamen detur respectu

cuiusuis effectus etiam peccaminosi, tamen est quasi conditionatum, si nempe causa libera se determinet ad hunc vel illum actum; præsertim quando est de actione intrinsecè malâ & peccaminosa: Ergo nisi aliunde cognosceatur determinatio libera voluntatis, saltem ex hypothesi futura, non possunt hi effectus in decreto diuinæ voluntatis cognosci; adeo vt Thomistæ illi citati ipsimet fateantur, sublatâ absolutâ illâ prædefinitione Dei, non posse in decreto diuinæ voluntatis præcognosci effectus contingentes, vt vidimus.

Secundo probatur eadem assertio vniuersim & absolute. Quia inter futura contingentia, sunt etiam peccata, hæc autem futura Deus in nullo suo decreto cognoscit: Ergo non omnia futura contingentia Deus in decreto suæ voluntatis cognoscit. Minor probatur: non enim Deus ea cognoscit in aliquo decreto, quo illa fieri velit, & decernat, quia DEVS nullo modo peccata vult & decernit, sed solum permittit. Nec etiam illa cognoscit in decreto permittendi: quia ex sola permissione seu decreto permittendi, seclusa præscientiâ Dei mediâ, non potest cognosci peccatum futurum: si enim aliter cognosceret, maxime in negatione diuinæ determinationis ad bonum (sine qua homo labitur in quoduis peccatum) inclusa in ipsa permissione peccati, vt vult Bannes cum alijs Thomistis: sed hoc dici non potest: tum quia hæc determinatio Dei physica ad bonum, in actionibus liberis nulla est, vt dicitur q. 11. dub. 1. tum quia ex subtractione talis determinationis, non necessario sequitur hoc peccatum in specie & individuo; imo si de determinatione ad bonum sermo sit, quæ habeat rationem gratiæ efficacis, nec omnino vllum peccatum: potest enim facilis aliqua actio bona exerceri, absq; vilo auxilio gratiæ Christi, vt ex 1. 2. & 8. Thoma ibidè suppono, & fatentur communiter Thomistæ. Eadem fere est ratio prædeterminationis extrinsecæ, seu prædestinationis absolutæ, quam itidem non esse necessariâ ad quamlibet actionem causæ secundæ, iam ante diximus. Atque in eundem sensum recte etiam Scotus in 1. dist. 41. quæst. vn. §. *Contra istud, ait: sola permissio alicuius actus, est certitudo de permissione, non facit certitudinem de illo actu, quia oportet habere aliquam causam effectiuam. Igitur ex hoc solo quod Deus præcisè se velle permittere Iudam peccare, non erit certus de Iuda peccaturo.* Ita Scotus

5 Neque etiam cognosci à Deo peccata futura possunt in decreto concurrenti ad ipsum actum peccaminosum, in quantum ens est, vt putat Vasquez loco cit. Tum quia non omne peccatum inuoluit eiusmodi actum positiuum, vt hic suppono ex 1. 2. quidquid dicat Vasquez. Tum quia id ipsum non sufficit, quamdiu ad eiusmodi actum Deus hominem absolute non prædeterminat, vt ex Thomistis ipsis antea vidimus: atqui non prædeterminat, vt antea dictum: Ergo. Taceo quod vnus & idem actus peccaminosus, secundum omnem suam rationem positiuam intrinsecam, esse potest absque formali malitia morali sola ablatione liberatis, vt suo loco dicitur 1. 2. Quo fit vt in ipso actu peccaminoso futuro, secundum se

non possit cognosci ipsum peccatum formaliter futurum, quod sine moraliae formali malitia esse non potest. Atque ob has etiam ipsas causas, superius q. 6. dub. 9. diximus, beatos non videre peccata in decreto diuine voluntatis. Interim tamen in omni sententia fatendum est, Deum non in genere tantum, & in confuso, sed etiam in particulari decernere, ad hunc vel illum actum secundum omnes circumstantias, concurrere; alias imperfecte operaretur, nec haberet distinctam prouidentiam singulorum effectuum; quod erroneum est; idque proinde in confesso esse apud omnes Catholicos, teste notauit Suarez loc. cit. num. 3. licet nescio quos in contrarium referat Vasquez loc. cit. de qua re plura quaest. 10. dub. 7.

6 Assertio IV. Deus etiam non cognoscit contingentia futura in sola sua praescientiae efficacitate. Hanc fuse etiam probat Suarez. cit. opus. 2. lib. 1. cap. 5. contra singularem quandam sententiam Pallatij in 1. dist. 38. q. 2. disp. 2. dub. penul. Probatur tum ex eo, quod non ideo res futurae sunt, quia Deus illas scit futuras; sed contra, ideo scit futuras, quia futurae sunt; adeoque scientia visionis non est causa rerum, ut aperte docet S. Thomas q. 6. de verit. artic. 3. & suo loco dubio 10. dicitur. Tum quia etiam si haec scientia visionis esset causa rerum, non magis tamen in ea fieri possent omnia futura contingentia, quam in ipso decreto diuinae voluntatis, quod itidem est causa rerum; nec tamen est ratio cognoscendi peccata futura, ut pote quorum causa Deus non est, ut dictum antea.

7 Assertio V. Deus itidem non cognoscit omnia contingentia in seipso, praecise veluti causa. Sequitur ex assertione tertia; quia cum Deus sit causa rerum, non aliter in ipso, ut in causa cognosci possunt futura contingentia, quam in decreto ipsius; in quo per se solo, iam antea diximus Deum non cognoscere omnia futura contingentia, saltem absque praecua scientia media: Esti hac supposita, & in decreto suae voluntatis, & in se veluti causa, utique omnia futura contingentia cognoscit; non quidem velut in causa omnium futurorum contingentium; peccatorum enim, seu malorum culpa Deus non est causa nec author: sed veluti in causa bonorum, quibus annexa sunt eiusmodi mala culpa, ut cum S. Thoma hic q. 14. dicemus. Eo ipso enim quod Deus postquam per scientiam mediam vidit, Petrum v. g. si in hoc ordine rerum & auxiliorum gratiae collocaretur, hoc vel illo modo peccaturum esse, suo decreto eundem Petrum in eo rerum & auxiliorum ordine ponere constituit, nouit utique etiam in hoc ipso decreto, adeoque etiam in seipso, veluti in causa omnis boni Petrum esse peccaturum.

8 Assertio VI. Deus quidem cognoscit omnia futura contingentia in seipso, veluti in verbo creaturarum eadem representante, non ut mere possibiles tantum, sed ut ipsa quondam futuras. In quibus proinde sunt etiam ipsa futura contingentia; sed haec cognitio futurorum contingentium non est primaria & directa, sed secundaria,

& quasi reflexa; quae proinde secundum nostrum intelligendi modum aliam priorem cognitionem eorundem supponit. Haec assertio patet in simili ex ijs, quae superius q. 6. dub. 9. generatim docuimus, de cognitione creaturarum in Verbo. Loquimur enim de cognitione creaturarum in verbo veluti medio cognito; quae non potest non esse quasi cognitio reflexa, adeoque priorem cognitionem directam supponens. Quod si loquamur de verbo ipsorum futurorum contingentium, veluti medio non cognito, iam ibidem etiam diximus, quid sentiendum sit; proprie videlicet loquendo, haec ratio, non tam cognosci creaturas, ipsaque adeo futura contingentia in Verbo, quam Verbo; & insuper quid sit de modo loquendi, necessario tamen assignandam ad huc aliam rationem ex parte obiecti, quae sit ratio cognoscendi tum creaturas ceteras, tum ipsa futura contingentia, de quibus hoc loco particularim disputamus; quam ipsam denique sequenti assertione explicamus.

9 Assertio VII. Ratio cognoscendi futura contingentia, in Deo, generalis, primaria, & adequata, ex parte quidem ipsius cognoscentis, siue intellectus, est infinitas diuinae essentiae tanquam speciei intelligibilis, per quam, supposita eorundem futuritione, ipsa ut sunt futura, sufficienter representantur: ex parte vero obiecti, per modum terminum, est ipsamet rerum contingentium quandoque futurarum futuritio. Hanc assertionem iure tradit, & explicat Suarez cit. opus. 2. lib. 1. cap. 8. eodemque modo intelligitur S. Thomas hic q. 14. artic. 13. ubi ait: *Omnia quae sunt in tempore (aliquando nimirum existentia) sunt Deo ab aeterno praesentia (obiectiue) non solum ea ratione qua habet rationes rerum (nimirum practicas, ut sunt Ideae) apud se praesentes, ut quidam dicunt, sed quia eius intuitus fertur ab aeterno supra omnia, pro ut sunt, in sua praesentialitate.* Et ibidem ad 3. ait: *Nobis qui cognoscimus futura contingentia; quatenus talia sunt certa esse non possunt; sed soli Deo cuius intelligere est in aeternitate supra tempus. Sicut ille qui vadit per viam, non videt illos, qui post eum veniunt: sed ille qui ab aliqua altitudine totam viam intruetur, simul videt omnes transientes per viam.* Quorum verborum sensus esse videtur: Nos quorum cognitio pendet a sensibus, non possumus aliam de futuris contingentibus habere cognitionem, nisi quam praesentes causa eorundem exhibent, utique homini incertam & fallibilem. At vero Deo cuius cognitio ab obiectis minime dependet, quaeque ex sua infinitate excedit omne tempus ipsaque aeternitate mensuratur, omnia etiam futura, secundum proprium suum & actuale esse, ab aeterno obiectiue praesentia sunt; quae proinde a Deo ita infallibiliter cognoscuntur, &c. Ratio assertionis sumitur ex dictis. Quia sic tam ex parte obiecti (in quo, ut dictum duplex ratio, principij, & termini potest considerari) quam ipsius potentiae cognoscentis, nihil deest, quo minus a Deo, distincte & infallibiliter secundum suas proprias rationes,

tiones, & quodammodo in seipsis cognoscantur omnia futura contingentia. Adest enim ex parte potentia vis intelligendi sufficiens, vt pote infinita; adest intelligibilitas, & ratio terminandi ex parte obiecti, secundum quod futura sunt, quia reuera sunt futura, & quidem aliquo sensu determinate futura, vt superius dictum: adest ratio representandi ex parte eiusdem obiecti, quæ præstat ipsa diuina essentia in quantum est species intelligibilis infinite representatiua omnis intelligibilis.

10 Ex quibus etiam colligere est, quid sentiendum sit de opinione Nominalium, speciatim Ockami, Gabrielis, Ariminensis in 1. dist. 38. qui docent, fide quidem nos certo scire, Deum hæc futura contingentia cognoscere; impossibile tamen esse intellectui humano, declarare modum, quo illa cognoscit. Nam si sermo sit de cognitione modi illius omnino clara & distincta, in hac vita, verum est, quod dicunt; eo ipso quod infinitatem diuine essentia & intelligentia quidditatiue non cognouimus: si autem de cognitione imperfecta, non sunt audiendi: præsertim quando euidenter etiam demonstrari potest, & Deum habere vim sufficientem ea intelligendi, ac sibi ipsi representandi; & obiecta ipsa futura esse apta sic intelligi, vt ex dictis constat.

#### DVBIVM VIII.

*An, & qua ratione Deus cognoscat non entia; speciatim mala atque rationis entia.*

S. Thomas 1. p. q. 14. a. 9. & 10.

1 NON ens, generatim loquendo variè dici potest. Primo, quod actu non est, tamen si verè aliquando fuerit; aut futurum sit: & de his nulla est peculiaris dubitatio, præter ea, quæ de futuris contingentibus dicta sunt dub. præced. Vnde patet, hæc omnia à Deo cognosci; quanto magis ea quæ fuerunt, & iam non sunt; cum Dei cognitio sit immutabilis, vt vniuersim dictum dub. 4. & 10.

Secundo dicuntur non entia, quæ licet aliqui essentialiter sint aliquid posituum & reale, tamen, nec habent, nec habuerunt, nec habebunt vnquam actualem existentiam; quæ alio nomine dicuntur entia mere possibilis: & de his sub hoc ipso nomine *Non entium* agit S. Thomas hic quæst. 14. a. 9. sed nec de his restat difficultas specialis, præter ea quæ diximus supra dub. 4. vbi etiam dubitationem illam expediimus, an per hoc, quod entia possibilis diuinam scientiam terminant, intelligantur habere aliquid esse actuale.

Tertio non entia censeri possunt omnes propositiones & complexa falsa, & hæc ipsa vtique etiam Deus cognoscit prout sunt; dissentiendo videlicet vt falsis, non assentendo vt veris, vt rectè declarant Suarez. 1. p. lib. 3. cap. 3. num. 12. & Vafquez disp. 61. cap. 1. Neque difficultas est magna de modo cognoscendi. Deus enim intelligendo extrema qualibet, per se ac in seipso

cognoscit ea vt sunt, adeoque diuisa vt diuisa, connexa vt connexa: eodemque sensu dici potest, Deum cognoscere negationem, per affirmationem; quatenus eo ipso, quod cognoscit rem, quid sit, cognoscit etiam consequenter, & quasi secundum rationem nostram posterius, quid non sit: etsi Vafquez loc. cit. simpliciter neget, Deum cognoscere negationem per affirmationem; ratus ex æquo ac per se vtamque cognosci.

Præter hæc, duo adhuc sunt genera non entium, de quibus hoc loco difficultas est, an & quomodo à Deo cognoscantur. Quarto enim, non entia dici possunt negationes & priuationes, quæ vt sic non habent esse reale posituum; sub quibus continentur mala omnia, atque adeo peccata formaliter accepta; de quibus malis agit hic S. Thomas q. 14. a. 10. Quinto denique non entia dici possunt, quæ licet à nobis velut non entia concipiantur, tamen nullo modo sunt, nec esse, possunt; qualia sunt entia ficta, vt hircoceruus, chimæra &c. Eodemque pertinent omnia entia rationis propriè dicta; quæ nullum habent esse, nisi obiectuum ab intellectu; de quo vtroque, non entium genere quid sentiendum, sequentibus assertionibus explicabimus.

3 Assertio I. Deus omnia mala, tam naturæ, quæ moris, adeoque tam pœnæ, quam culpæ, seu aliquando existentia, seu mere possibilis perfectissime cognoscit. Ita S. Thomas hic q. 14. a. 10. & communis Doctorum in 1. d. 36. & est de fide, ex multis locis scripturæ. Nam mala naturæ, seu pœnæ, Deus ipse facit & imittit, iuxta Amos. 3. v. 6. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit; vtique à se prius cognitum, cum Deus sit agens intellectuale.* Prouerb. 15. v. 11. *Infernus coram domino; quanto magis corda filiorum hominum,* Sap. 8. v. 8. *Signa, & monstra scit, antequam fiant; & euentus temporum & seculorum.* Mala vero culpæ certo consilio ipse permittit, ac commissa punit. Job. 11. v. 11. *Ipsè enim nouit hominum vanitatem, & videns iniquitatem nonne considerat?* Psal. 50. v. 6. *Et malum coram te feci.* Et plena est vndique scriptura varijs exemplis, è quibus constat, Deum peccata hominum videre, ideoque varias pœnas terris immittere. Quamquam simul etiam in scriptura nonnunquam Deus peccata nescire dicitur, Abacuc 1. v. 13. *Mundi sunt oculi tui ne videas malum, & respicere, ad iniquitatem non poteris.* Quia videlicet hæc non nouit scientia approbationis; sed tum scientia quadam speculatiua, qua cognoscit quidquid est, prout est; tum scientia, quidem etiam aliquomodo practica, sed nõ causalitatis, aut efficientiæ ipsius peccati, sed solum permissionis & ordinationis ad bonum finem, vt sequenti disputatione de prouidentia Dei declarabitur.

4 Sed difficultas est, quomodo Deus cognoscat has priuationes, an per essentiam suam, siue vt medium cognitum; siue vt rationem cognoscendi; an per bonum seu formam oppositam; an potius per se, & in seipsis. De qua re hic S. Thomas cit. q. 14. c. 10. dicit; *Per hoc ipsum quod Deus cognoscit bona, cognoscere etiam mala; sicut per lucem etiam cognoscuntur tenebra.* Et ad tertium ait: *Deum cognoscere suos effectus per suam essentiam; & eos cognos-*

censem

centem, etiam mala opposita cognoscere. Et resp. ad. 4. ait: *malum non esse per se cognoscibile, quia de ratione mali est, quod sit priuatio boni; & sic inquit, neq. definitur neque cognosci potest, nisi per bonum*; In quem sensum satis etiam aperte loquitur S. Dionysius cap. 8. de diuin. Nomin. & sequuntur alij Thomistæ.

Notandum, duobus modis censi posse malum cognosci per bonum; primo vt per medium cognitum: secundo nudè vt conterminum ipsius mali; qui simul intelligatur cum malo, tanquam altero termino.

5 Assertio II. Nullum malum formaliter, prout est priuatio boni, vilo intellectu intelligi potest, nisi simul intelligatur bonum, cuius est priuatio; & hoc sensu etiam omne malum à Deo intelligitur per bonum, tanquam conterminum, malo priuatiue oppositum. Hæc est mens S. Thomæ loc. cit. maxime in resp. ad 4. & est extra controuersiam, eiusdemque S. Thomæ ratione optime probatur. Quia cum hoc modo sit de ratione mali formaliter, vt sit priuatio boni; impossibile est, illud definiti, aut cognosci, nisi per bonum oppositum, nempe velut essentialem conterminum mali. Quod si in confuso ac in genere tantum malum cognoscatur, necesse est etiam, vt bonum saltem in confuso & in genere cognoscatur. Si vero illud distincte cognoscatur, & hoc necesse est distincte cognosci. Dixi tamen malum formaliter, vt est priuatio boni, quia malum materialiter, seu denominatiue, cum sit ens reale ac positium, non debet cognosci per bonum veluti formam oppositam; vt per se patet. Quæ tamen forma opposita, etiam in peccati cognitione proprie ac formaliter non est ipsa essentia diuina, quidquid Zúmel hic quæst. 14. a. 10. & quidam recentiores Thomistæ dixerint: sed bonitas virtutis, cui priuatio peccati immediate ac directè opponitur, vt expresse docet S. Thomas hic q. 14. a. 10. ad 2. & 3. & sequuntur Suarez lib. 3. capite 3. numero 11. & Vasquez disp. 62. cap. 2. & pluribus doceo in 1. 2. siue tomo. 2. d. 2. q. 5. dub. 2. & disp. 4. q. 1. dubio 2. Vbi simuletiã explico, an peccatum formaliter habeat aliam malitiam, præter hanc priuationem.

6 Assertio III. Deus etiam cognoscit mala per bonum, velut medium cognitum. Hæc est mens S. Thomæ cit. art. 10. in corp. vt ex discursu ipsius intelligitur, & sequuntur communiter Thomistæ ibidem, ac Suarez cit. cap. 3. num. 11. Probatur. Deus enim, dum in se ac sua essentia, siue vt in causa, & medio cognito, siue vt in specie quadam intelligibili, perfecte, ac per se, directè & primario cognoscit omne bonum creatum sicuti est, ex consequenti, seu potius secundario etiam cognoscit defectus ac mala, quæ coniuncta habet, vt rectè dixit S. Thomas. Idem tradit S. Dionysius c. 7. de diui. nom. vbi de Deo loquens ait: *Quemadmodum etiam lux per causam* (seu veluti causam) *in se tenebrarum notitiam anticipatam & informatam habet, quod non aliunde, quam ex luce tenebras norit.* Et confirmatur, quia cum aliqua potentia est cognoscitiua tam entis, quam non entis, tum eo ipso quod cognoscit ens, vt est in se, finitum, &

imperfectum, videt consequenter etiam priuationes. Secus accidit in oculo (similis est exteriorum sensuum ratio) qui cum non possit videre nisi colorem & lucem, nequit videre tenebras; sed intellectus ex eo, quod apertis oculis nil videtur, colligit & percipit tenebras; vt rectè Vasquez d. 61. n. 3. Et quanquam Deus vtroque modo explicato priuatione non cognoscat, nisi etiam cognita forma, seu habitu opposito, non tamen formaliter per conceptum obiectiuum ipsius habitus: quia cum aliud sit habitus, aliud negatio; & Deus intelligat ea quæ sunt, aut non sunt, eo modo quo sunt, nõ potest non vnãquodq; in se obijci intellectui, vt bene Vasquez cit. d. 61. n. 5. tametsi conceptus formalis a parte rei idem sit vtriusque, nimirum eadem essentia diuina.

7 Assertio IV. Deus nihilominus, ex probabili sententia, cognoscit eadè mala etiam directè & im mediate, ac quodammodo per se, ac in seipsis absque alio medio cogntio. Ita sentit Vasquez d. 61. c. 1. nec aduersatur S. Thomæ, qui dum priorem modum cognoscendi asserit, posteriorè hunc non negat: & verò plures eiusmodi modos intelligendi vnã & eandem rem (videlicet per mediũ cognitum, & per medium vt sic non cognitum) inter se non pugnant, iam sæpe diximus. Ratio est: quia sicut apud nos contrariorum eadem est scientia; ita etiam intelligere possumus, essentiam diuinam directè representatiuam esse per modum speciei intelligibilis non solum bonorum, sed etiã malorum oppositorum: præsertim cum nullum malum eueniat, nisi Deo vel causante, vel permitte, vt dictum: Quanquam semper interim simul necesse est intelligere formam priuationi seu negationi oppositam, non quidem hoc cognitionis genere, tanquam medium cognoscendi ipsas priuationes, sed tanquã conterminum, sine quo priuatio non potest intelligi, vt dictum assert. 2. Et iuxta hunc posteriorem modum intelligendi mala, ait etiam Vasquez loc. cit. *Deum non intelligere non ens in se ens.*

8 Ex quibus denique patet, vt ad hanc difficultatem summam respondeatur; Deum cognoscere mala per suam essentiam, tum vt per medium cognitum; tum vt rationem cognoscendi; & rursum tamen etiam per bonum creatum oppositum, semper quidem tanquam conterminum: partim vero etiam vt medium cognitum: per se vero ac in seipsis illa non cognoscit, nisi his oculis nil aliud significetur, quam mala secundum suam propriam rationem, & non per accidens solum; sed quodam cognitionis modo etiam directè, absque alio medio prius cognito, à Deo cognosci. Sed nunc de quinto genere non entium agendum; de quo duplex est dubium, an entia rationis intellectus diuinus cognoscat; & an etiam faciat.

9 Assertio V. Deus cognoscit etiam omnia entia rationis, tam illa, quæ mere fictitia sunt, quam quæ habent fundamentũ in re, vt ratione generis, speciei &c. Hanc distinctione entium rationis, quæ nullum habent esse nisi obiectiuum in intellectu, suppono ex Logica. Assertionem vero hanc generatiuam tradit S. Thomas hic q. 14. artic. 9. vbi



ait; Deum cognoscere omnia, quæ sunt in potentia Dei, vel creatura, siue in potentia actiua, siue in passiua, siue in potentia opinandi vel imaginandi, vel quocumque modo significandi. Et infra q. 15. a. 2. ad 3. ait: Respektus multiplicantes ideas non sunt in rebus creatis, sed in Deo. Non tamen sunt reales respectus, sicut illi, quibus distinguuntur persone, sed respectus intellecti à DEO. Idem de utroq; entium rationis genere apertè etiam docent Suarez in Metaph. disp. vlt. & hic lib. 1. cap. vlt. & lib. 3. cap. 3. num. 7. Albertinus tom. 1. princip. 1. Coroll. 1. punct. 5. Christoph. Gillius lib. 2. tract. 6. cap. 13. num. 5. & videtur etiam consentire Vasquez hic disp. 61. num. 4. & 5. licet idem tom. 2. disp. 118. num. 11. 12. 13. disertè neget, entia ficta & rationis à Deo cognosci.

Cum enim ibidem num. 11. rectè dixisset per intellectum diuinum aut quemlibet cognoscentem res sicuti sunt, proprio & distincto conceptu non fieri ens rationis, sicut neque distinctionem; eo quod cum ens rationis quod rebus tribuimus ipsis re vera non conueniat, nisi tantum in nostra apprehensione; & Deus cognitione sua rebus cognitis nihil addat, sed illas omnino apprehendat, sicuti in se ipsis sunt; neque per intellectum diuinum aut cognoscentem rem sicuti est, aliquid ad aliud referri, quod re ipsa ad aliud non refertur: mox inferius num. 12. recentiores aliquos perstringens, quod dicerent, nihilominus entiarationis à Deo cognosci ait: Cæterum recentiores aliqui, claudicantes in vtramque partem, nec plane vnam aut aliam sententiam sectantes, docent, conceipi quidem à Deo ens rationis, & obiectiue Deo præsens esse, sed à Deo non fieri, ne concedant absurdum, nempe intellectum diuinum fingere aliquid sibi &c. Verum Philosophi hyludunt vocabulis, ne videantur concedere, aliquid absurdum Deo; quomodocumque vero loquantur, negare non possunt, diuinum intellectum aliquid fingere, & concipere aliter, quam est. Nam si Deus retinet in mente sua id quod non est, licet non primariè sed quia prius factum est ab intellectu creato, reuera format in intellectu suo figmentum & monstrum, illudque virtute sui intellectus conseruat factum & inuentum ab alio &c. Adde quod si Deus nunc cognoscit ens rationis, quod ab intellectu humano habet esse; cognoscit etiam illud ab æterno antequam creatus intellectus illud effingat. Et infra num. 13. Fieri, inquit, ens rationis & formari, nihil aliud est, quam obijci intellectui vel intelligi, quod idem est; diuinus autem intellectus ex sententia ipsorum habet illud sibi obiectiue præsens: ergo facit illud & format, licet non primariè sed occasione nostri intellectus.

Probatur assertio; tum quia & nos vtraq; illa entia rationis cognoscimus, vt suppono; & Deus eam ipsam etiam cognitionem nostram distinctissime & perfectissime nouit: ergo etiam cognoscit eiusdem cognitionis obiecta, quandoquidem impossibile est, distinctè cognoscere cognitionem creatam, & non simul etiam cognoscere eius obiectum à quo illa essentialiter & intrinsecè dependet. Tū quia vtrumque illud entis rationis genus est aliquid intelligibile: ergo necessario cognoscitur, ab infinito intellectu. Consequenter probatur; quia sicut de ratione infinitæ potentie est, facere

posse omne possibile; ita de ratione infiniti intellectus, vt infinita scientiæ est, cognoscere omne cognoscibile. Alioqui enim talis scientia non erit simpliciter infinita. Neq; satisfacit Vasquez loc. cit. dum ait, Deum quidè cognoscere eiusmodi obiectum esse in intellectu humano: hoc enim, inquit, sine imperfecto conceptu obiectiuo fieri potest, at non cognoscere eo modo, quo est in intellectu humano. Nam etiam nos non dicimus Deum eo modo cognoscere quo intellectus humanus, si modus denominet cognitionem siue potentiam cognoscentem, cognoscere tamè eo modo ex parte obiecti ita vt intellectus diuinus reuera cognoscat, quod humanus intellectus, nempe ens rationis. Addit Vasquez nostrum conceptum formalem non habere respectum realem ad figmentum illud obiectiue existens in mente nostra, & ita non sequi à Deo cognosci, ex eo, quod Deus cognoscat conceptum nostrum formalem; quia vt habeat illud sibi obiectiue præsens, debet habere in se conceptum formalem, cuius virtute obijcitur nobis. Sed reuera hæc non rectè dicuntur, quia constat omnem cognitionem creatam habere relationem transcendentalem ad suum obiectum cognitum. Neq; ad cognoscendum obiectum alicuius cognitionis seu conceptus formalis necesse est, eandem cognitionem seu conceptum formalem in se habere.

Quæ rationes apud me euidenter conuincunt, vt existimem, rem hanc non minus certam esse, quam Deum, propter infinitatem omnipræsentie, seu ob immensitatem suam, esse in omnibus locis præsentem; saltè si supponamus, genus illud Entis rationis Logici, non nisi obiectiue existentis in intellectu, dari in rerum natura: imò etiam si quis contendat, id esse Ens merè fictitiu, non minus quam hircoceruus; adhuc tamen negari non potest, à Deo cognosci: quandoquidè nihilominus illud à nobis aliquo modo intelligitur, cum de illo tam prolixè in vtramque partem disputetur, & verò etiam cætera, vt diximus, entia fictitia, tam à Deo quàm à nobis cognoscantur.

Assertio VI. Deus tamen sua cognitione non facit eiusmodi Eus rationis Logicum, aut fictitiu. Ita citati auctores omnes, excepto Gillio loc. cit. qui docet, Deum proprio suo intellectu etiam efficere ens rationis: pro qua sententia citat etiam S. Thomam 1. p. q. 15. art. 2. ad 3. & 4. Henricum in sum. art. 68. q. 5. & in quodlib. 5. q. 1. Sed contrarium existimo verius: Ratio est: non solum quia Ens rationis nec à nobis quidem efficitur quacumque cognitione quasi speculatiua (multoties enim generis, speciei, vel ipsius etiam entis rationis in genere conceptum habemus, de eo velut de alijs rebus speculatiue ratiocinantes, nullum interim faciendo eiusmodi ens rationis, vt notat etiam contra quosdam recentiores Gillius loc. cit. num. 3. & 4.) sed quia ens rationis non efficitur, nec sequitur, nisi ex cognitione quadam imperfecta, homini propria, V. G. ratio generis, speciei, seu vniuersalis, per cognitionem quadam abstractiuam imperfectam, qua natura quædam à conditionibus indiuiduantibus abstrahatur, & secundum se nudè consideretur; item ratio subiecti, prædicari &c. ex compositione & diuisione intellectus, includente vel supponente pluralitatem conceptuum, quorum vnus cum

alio aliquo modo componatur, vel ab eo seiu-  
gatur. Entia quoque rationis mera fictitia ex co-  
oriuntur, quod intellectus etiam non entia quasi  
entia fingat & formet; coniungendo ex rebus no-  
tis eiusmodi conceptus, qui in vnam & eandem-  
rem conuenire non possunt &c. Quæ omnia à  
Deo, partim etiam ab Angelis, valde aliena sunt.  
Neque enim Deus vnum absque alio per cogni-  
tionem abstractiuam considerat, qui vno & eodē  
simplicissimo intuitu necessario videt omnia;  
neque Deus componit & diuidit; neque ipse con-  
fingit entia eiusmodi fictitia & phantastica: quæ  
proinde omnia, vt & cætera errata intellectus  
nostri (quæ tamen itidem à Deo cognosci nemo  
ambigit) nec sunt ab ipso Deo, nec omnino ta-  
lia sunt respectu intellectus diuini, sed duntaxat  
nostri: esto interim, veredicatur, nos dum faci-  
mus entiarationis logica, *non fingere monstræ & sig-  
menta*. Neque contrarium sentit S. Thomas loco  
cit. qui plus non dicit, quam relationes rationis  
cognosci à Deo: neque apud Henricum, aut vl-  
lum alium authorem hæcenus legi, Deum facere  
illud ens rationis de quo loquimur.

Objicies, qui facit fundamentum proximū entis  
seu relationis rationis, is etiam facit ipsum ens  
rationis, quod inde sequitur; non enim aliter id  
efficitur: sed Deus creando hominem V. G. facit  
fundamentum proximū relationis rationis, qua  
Deus veluti creator ad hominē refertur: Ergo &c.

Respondeo, Obiectionem procedere non de ente  
rationis Logico, aut merè fictitio, de quo in  
quæstione locuti sumus, sed de alio quodā genere  
entis seu relationis rationis, quod actionem Dei  
transcendentem consequitur: quanquam si quis dicat  
ens rationis formaliter non habere suam existentiam,  
nisi cum actu cogitatur ab intellectu (nimirum  
eo ipso, quod non habet aliam existentiam;  
nisi obiectiuam in intellectu) idque per modū entis  
cuiusdam quasi realis, ad quod semper notitia hu-  
mana respicit, vt potè à phantasia dependens, quæ  
non nisi ad rem realē terminatur; absque hac verò  
existentia obiectiuā formaliter non esse rationis  
entia, sed nudas duntaxat denominationes ex-  
trinfecas; is facile etiam defendere poterit, nec  
istud quidem ens rationis à Deo effici, vt cun-  
que effectum à nobis, ab ipso itidem cognoscatur.

#### DVBIVM IX.

*Quotuplex sit scientia diuina, & quisnam in ea  
sit ordo respectu variorum obiectorum.*

S. Thom. 1. p. q. 14. a. 5. & 16.

QVOD ad primum attinet, tres sunt potissimum  
diuisiones scientiæ diuinæ, quæ fere ex dictis  
colliguntur. Prima sumitur ex diuersitate obiecto-  
rum; qua ratione alia est, & vocatur *simplicis intel-  
ligentiæ*, respectu rerum possibilium, qua tales sunt,  
siue secundum suam naturam præcisè spectentur,  
siue secundum varium modum, quo à Deo fieri  
possunt; & siue hæc ipsæ res aliquando habituræ  
sint existentiam, siue non. Alia est *visionis*, quæ etiam  
*intuitiua* dicitur, respectu rerum quandoque  
actu existentium, qua tales, siue præsentibus iam sint,  
siue præteritis, aut futuræ. Deus enim omnia, qua

aliquando existunt, eodem modo velut præsentia  
intuetur, nec eget rei præsentia ad intuitiua cog-  
nitionē: licet aliqui nimis scrupulose existiment,  
scientiam visionis non esse appellandam, nisi eam  
quæ formaliter circa res præsentibus in tempore ver-  
satur: quod significat Gabriel in 1. d. 39. Quæ lo-  
quendi ratio etsi solum ad vocabulorū vsum per-  
tineat, est tamen contra communem & receptū lo-  
quendi modum, vt rectè Vasquez hic q. 14. a. 8. &  
Suarez opus. de scientia Dei lib. 1. c. 7. n. 20. Qui  
etiam hic 1. p. lib. 3. c. 4. n. 2. scientiam simplicis  
intelligentiæ *abstractiuā* vocat. Sed quæ appellatio  
diuinæ scientiæ sine explicatione tribuenda non  
videtur; cum reuera nulla sit in Deo cognitio, quæ  
à parte rei adæquatè spectata abstrahat ab aliqua  
obiecti ratione, cum omnia Deus vna simplicissi-  
ma cognitione cognoscat. Tertia scientia est inter  
has media, respectu contingentium futurorum,  
sub conditione, vt dictum dub 5.

Ex his secundo nascitur alia diuisio diuinæ scientiæ,  
penes variā habitudinē eius ad diuinā volun-  
tatē, siue naturā. Sic enim alia scientia in Deo est  
*necessaria*, alia *libera*, alia inter vttramque; *media*, scilicet  
partim necessaria, partim libera, vt dictum cit.  
dub. 5. Libera est scientia visionis respectu creatur-  
arum quandoque existentium; quæ supponit liberum  
decretū diuinæ voluntatis. Necessaria est, tū  
scientia simplicis intelligentiæ respectu earundē,  
tū scientia visionis seu intuitiua respectu ipsius  
Dei. Quæ omnia patent ex dictis supra dub. 1. & seq.

Tertia diuisio diuinæ scientiæ item sumitur ex  
diuersitate obiectorum: quo modo alia est *practica*,  
alia *speculatiua*, iuxta S. Thomam q. 14. a. 16. quæ  
tamē diuisione dub. seq. commodius explicabimus.

Quod ad secundum, nempe ordinē diuinæ  
scientiæ attinet, non agit quidem hoc loco S. Tho-  
mas de hac re ex instituto: sed quia tamen ipsam  
Dei scientiam proprie concernit, eiusque cog-  
nitio subinde in varijs materijs necessaria est, non  
est hoc loco præterminanda. Et suppono, esse  
quæstionem de ordine prioritatis inter ipsos ac-  
tus diuinæ intelligentiæ, non quidem secundum  
rem (cum nulla à parte rei sit diuersitas  
inter attributa, & prædicata diuina, vt suo loco  
superius dictum) sed secundum nostram rationē.  
Neque hic agimus de ordine, quem habet scientia  
Dei ad voluntatē; neque de ordine qui est inter ipsa  
decreta, seu actus voluntatis diuinæ; de vtroque  
enim quæst. seq. agendum; sed solum de ordine,  
quem ipsi actus diuinæ scientiæ inter se habent.

Assertio 1. Est aliquis inter actus diuinæ scientiæ  
ordo prioritatis secundum rationem. Ita sup-  
ponunt omnes Theologi in varijs materijs, spe-  
ciatim de prædestinatione, Trinitate, Incarnatione;  
vbi inter actus diuinæ mentis, tum ad intel-  
lectum, tum ad voluntatē spectantes, varium  
ordinem signorum, seu instantium rationis assignant;  
quidquid Nominale in congrarium sensu  
se videantur, vt suo loco dicitur. Ratio est: quia  
etiam in diuinis actibus ex parte obiecti secundū  
rationem nostram, aliqua est velut dependentia  
& dependentiæ ratio; ita quidem vt secundum  
rationem nostram vnus actus supponat alium,  
pro varia ratione ipsius obiecti.

Assertio

3 **Assertio II.** Omnis ordo prioritatis inter actus diuini intellectus defumitur aliquo modo ex obiecto. In hoc itidem consentiunt Theologi. Et ratio est. Quia abstrahendo ab obiecto, cognitio ipsa diuina est ipsamet essentia diuina, adeoque una quædam & simplicissima entitas; in qua ut secundum se nulla est distinctio; ita nulla etiam secundum prioritatem vel posterioritatem distinguendi ratio. Et confirmatur; quia ipsa intellectiones diuine inter se non distinguuntur, nisi ratione, per habitudinem & comparationem ad obiecta. Ergo neque distinctionem prioritatis admittunt, nisi per comparationem ad eadem obiecta. Idem patebit inductione ex sequentibus.

**Assertio III.** Ordo prioritatis in actibus diuini intellectus assignandus est, secundum proportionem eius ordinis, quem inter se habent actus humani intellectus. Est itidem communis, & extra controversiam. Ratio est. Quia nos de rebus diuinis ratiocinari non possumus, nisi secundum analogiam eius notitiæ, quam de rebus humanis & creatis habemus; cum omnis nostra cognitio, quam de Deo habemus capiatur ex rebus humanis & creatis.

4 **Assertio IV.** Ordo prioritatis secundum rationem alius competit actibus diuini intellectus, ex suo genere vniuerso; alius in vnoquoque genere nonnullis particulatim: seu quod idem est, alius ordo actuum diuini intellectus est generalis, alius specialis. Ita quoad rem ipsam etiam tradunt, & sentiunt omnes, & patebit ex sequentibus.

**Assertio V.** Generalis ordo inter actus diuinae scientiæ, ex suo genere vniuerso spectatus, est iste, ut secundum rationem nostram, prior in Deo sit scientia naturalis, ac simpliciter necessaria, siue ipsius Dei, siue rerum naturalium, secundum esse possibilem consideratarum; secunda cognitio siue scientia media, quæ partim naturalis est partim libera; tertia, scientia visionis, quæ vndequaque libera est. Hanc etiam facile admittunt omnes. Et ratio est. Quia in omni genere, Ens necessarium prius est ente contingente seu libero; cum illud ab hoc pendeat & supponatur. Ergo etiam in cognitione diuina, quo aliquid magis accedit ad necessitatem, vel ab ea magis recedit, ita etiam prius vel posterius secundum rationem nostram dicendum est: Est autem in diuina scientia ex suo genere vniuerso hæc diuersitas respectu obiectorum, ut aliqua scientia sit absolutè ac simpliciter necessaria in Deo, alia simpliciter & absolutè libera, alia vero media, ut paulo antea dictum: Ergo hoc etiam modo prioritatis & posterioritatis secundum rationem assignanda est.

5 **Assertio VI.** In vnoquoque genere diuinae scientiæ, is actus, secundum rationem ex parte obiecti, prior est altero; qui, siue cuius obiectum secundum nostrum modum intelligendi ratio est, eum eadem diuina scientia versetur circa alterum obiectum. Est communis. Probat. Quia prioritatis inter actus diuinae scientiæ omnis defumitur ex obiectis; & quidem iuxta proportionem & analogiam eius ordinis, quam in simili cernimus in rebus creatis; at verò in rebus creatis actus ille prior est, ex parte obiecti, qui, seu cuius obiectum

ut sic, est ratio quædam alterius. Atque hac proinde ratione scientia naturali ipsius Dei prior est scientia, qua Deus seipsum cognoscit, quam scientia creaturarum secundum esse possibilem, quia ratio videndi creaturas est ipse Deus, seu visio Dei, ex dictis supra dub. 2. In ipsa verò essentia diuina, prior eadem ratione erit cognitio ipsius Dei, secundum esse absolutum, quam relationem; & in vnoquoque esse prior cognitio illius attributi, seu prædicati, quod ratione prius est altero, iuxta ea quæ de attributis diuinis absolutis hæcenus dicta sunt, & quæ de rebus creatis dicentur suo loco. Quod verò ad res creatas attinet, est

**Assertio VII.** Inter res creatas, illa prius ordine quodam rationis cognita est à Deo, à qua altera, siue ex natura rei, siue secundum ordinationem, ac dispositionem diuinam dependet, siue quæ aliquam respectu alterius causalitatem exercet. Hac ratione scientia naturali à Deo prius secundum rationem cognoscitur subiectum, quam passio, V. G. homo, quam risibilitas; prius etiam aliquo modo ordo naturæ, quam gratia. A ratione autem contraria, quia multæ sunt res creatæ, quæ nullam ex se dependentiam habent, neque ex natura rei, neque ex ordinatione diuina, ut bos, equus, ceruus, & iumenta omnia, ac pleraque animantia inter se comparata; nulla est ratio, cur ex his siue per scientiam naturalem, siue per liberam (seruata vtrinque proportionem) quædam prius ratione à Deo sint cognita, quam alia.

**Assertio VIII.** Non tamen eo ipso id, à quo alterum aliquo modo, siue ex naturali connexionem, siue ex decreto diuino dependet, simpliciter & vndiquaque est prius ratione scitum à Deo, quam id, quod ab eo dependet: sed in scientia Dei practica, ac etiam visionis, quæ liberum Dei decretum sequitur, duplex actuum ordo ex parte obiecti constituendus est; vnus nimirum secundum ordinem intentionis, alius secundum ordinem executionis, qui duo ordines ita inter se comparantur, ut quod vno quodam ordine prius est, altero sit posterius, siquidem vtrumque à se inuicem in diuerso genere causæ pendent. Ita supponunt omnes. Et patet ex analogia humanæ mentis, in qua etiam duplex hic ordo cernitur. Si quidem ordine intentionis prius cognoscitur, atque etiam appetitur finis, quam media, & in ipsis medijs prius id, quod propius ad finem conducit, V. G. prius sanitas quam medicina, & in medicinis, prius compositum iam & præparatum pharmacum, quam simplicia, ex quibus destinatum pharmacum componitur, &c. E contrario vero ordine executionis prius appetuntur, atque etiam ab intellectu practico proponuntur media, quam finis; & in ipsis medijs, id quod à fine remotius est; ita ut quod primū est in intentione, postremū sit in executione. Et quia diuerso ordine ac respectu, vicissim vnum ab altero dependet, nimirum ordine executionis, finis à medijs; cum tamen ordine intentionis à fine pendeant omnia media, hinc fieri potest, ut diuerso respectu & ordine, etiam in diuina scientia, vicissim actus vnus sit altero prior, & posterior. Quare etsi, ut dictum, ordo naturæ, ordine quidem executio-

nis, ac secundum causalitatem subiecti, partim etiam efficientis, prior sit ordine gratiæ; nihil tamen obstat, quo minus ordine intentionis, prior sit in mente diuina ordo gratiæ, quam naturæ, cum hic ordinetur ad illum tanquam finem. Sed hac de re q. 10. dub. 5. & disp. 3. de prædestinat. q. 5. pluribus agendum erit.

#### DVBIVM X.

*Qualis nam sit Dei scientia; siue de attributis diuinæ scientiæ; & quanam scientia Dei sit causa rerum, & practica.*

S. Thomas 1. p. q. 14. a. 7. 8. 15. & 16.

**1** Quatuor potissimum sunt attributa diuinæ scientiæ, quæ cum S. Thoma breuiter explicamus, cum ferè ex dictis omnia colligantur. Primum igitur attributum diuinæ scientiæ est, quod plane sit expers omnis compositionis, diuisionis, ac discursus, vt docet S. Thomas 1. parte quæst. 14. articulo 7. Vbi etiam propterea ad 2. dicit, Deum non cognoscere effectus ex causa, sed, in causa. Eademque est certa & recepta sententia omnium Theologorum. Et ratio euidens est. Quia tam compositio seu diuisio, quam discursus requirit plures in re actus; illa quidem apprehensiuos, hic verò etiam iudicatiuos: quæ pluralitas à Deo planè abest, ex dictis q. 3. dub. 1.

Secundum attributum est, quod sit prorsus certa & infallibilis, excludens non solum actualem errorem, sed etiam omnem potentiam ad errandum; quæ nunquam est sine imperfectione; neque potest adeo scientiæ infinitè perfectæ conuenire. Et ratio est, quia cum sit infinita, rationemque cognoscendi habeat certissimam, nempe ipsammet suam essentiam, semper fertur in obiectum, vt est à parte rei. Quo spectat etiam, vt nulli veritati assentiatur, solum per coniecturam, & probabiliter, seu ex medio probabili: licet hoc ipsum totum simul, videlicet hoc vel illud esse ex tali vel tali medio probabile, certo & infallibiliter cognoscat, iuxta dicta superius dub. 5. & 6.

**2** Tertium attributum est, quod sit prorsus immutabilis & inuariabilis, vt docet S. Thomas cit. quæst. 14. articulo 15. idque non solum secundum suam entitatem, quæ est ipsamet essentia diuina; sed etiam secundum se formaliter, tum ex parte obiecti, quia non potest ex vera mutari in falsam, vel è contrario: tum etiam ex parte cognoscentis, quia non potest de nouo primum acquiri vel deperdi; nec potest successiuè esse clarior, certior, aut perfectior; nec omnino potest aliquando esse in actu, aliquando solum in potentia; cum necessario & inuariabiliter semper sit in actu. Omnia enim eodem modo ab æterno nouit Deus, secundum esse, quod quæque res aliquando habet; eandemque scientiam perpetuo & inuariabiliter retinet.

Obijcitur. Deus ab æterno cognouit Petrum V. G. peccatum, aut se nasciturum ex Virgine; iam verò non cognoscit, aut illum amplius peccatum, aut se nasciturum. Idem de Antichristo & similibus dici potest: Ergo Deus non semper scit, quod sciuit: adeoque scientia Dei ex parte obiecti est variabilis.

Ad hoc argumentum respondet S. Thomas cit. artic. 15. ad 3. concedendo, non scire quidquid sciuit, si ad enuntiabilia referatur; negat tamen, propterea scientiam Dei esse variabilem. *Sicut enim, inquit, Deus absque variatione scientiæ suæ scit, vnā & eandem rem, quandoque esse, & quandoque non esse, ita etiam absque variatione eiusdem scientiæ scit aliquid enuntiabile quandoque esse verum, & quandoque esse falsum.* Ferrariensis 1. contra Gentiles cap. 67. & cum eodem Zumel hic quæst. 14. a. 16. docent, in istis propositionibus, Deus non scit Adam futurum, tempus præsens vel accipi posse, vt se tenet ex parte cognitionis, vel ex parte obiecti: priori modo adhuc veram esse talem propositionem, non autem posteriori.

Addendum cum Caietano hic citat. articulo 15. Gregorio de Valentia q. 14. q. 8. Suarez hic lib. 3. cap. 1. num. 15. has propositiones, Petrum peccatum, Antichristum venturum, &c. dupliciter considerari posse; primò adæquate & formaliter, vt cadunt sub diuinam scientiam, videlicet cum respectu ad illud tempus, pro quo, & respectu cuius Deus aliquando futuritionem rerum per eas significatarum cognouit; & sic Deus etiānum semper eandem vt veras cognoscit, semperque adeo etiam in his scit, quod sciuit; quia semper cognoscit futuritionem ipsius peccati Petri, & existentiz Antichristi, pro illo, & respectu illius temporis, pro quo & respectu cuius vtrumque aliquando erat futurum: Sicut etiam ab æterno simul cognoscit præsentiam & præteritionem, vtriusque, respectu illius temporis ratione cuius reuera vtrumque aliquando præsens, aut præteritum erit: cum interim respectu ipsius æternitatis præcise, vt quæ omnia tempora ambit & excedit, & in qua nihil est præteritum, vel futurum, nihil Deus vt futurum cognoscat, sed omnia eodem modo velut præsentia intueatur.

Secundo spectari propositiones illæ possunt, inadæquate, & quasi materialiter, ac secundum se, videlicet non cum illo formali respectu ad illud tempus, ratione, cuius aliquando erant veræ, sed respectu huius temporis in quo tales propositiones formantur; & hoc sensu verum est, quod dixit S. Thomas, in his enuntiabilibus, Deum non semper scire, quæ sciuit: quod tamen propterea scientiam Dei nihil variat; quia cum dicimus, Deum non posse aliquid nescire quod sciuit, accipiendum id est adæquate & formaliter, vt sciuit, videlicet priorimodo, non posteriorimodo; præsertim cum, si propositiones seu cognita eiusmodi posteriorimodo accipiantur, non sint eadem, sed plane diuersa; aliud enim est Petrum V. G. peccatum respectu illius temporis, quod Christi passionem antecessit; aliud, esse peccatum respectu huius nunc

præsentis

presentis temporis, in quo propositio illa denuo formatur: huius enim respectu, nunquam vera erat propositio illa; respectu autem illius dudum præteriti temporis, semper vera est, ut dictum.

Quartum attributum diuinæ scientiæ est, quod sit causarum, adiuncto tamen decreto libero diuinæ voluntatis, inclinantis efficaciter in obiectum cognitum, ob quam etiam causam talis scientia vocatur *scientia approbationis*, hoc est, quasi accedente voluntatis decreto, ex parte obiecti, quod futurum efficaciter decernitur, approbata, ut docet S. Thomas q. 14. a. 8. Est enim Deus agens intellectuale, quod proinde ratione adeo; intellectu & voluntate agit, ad eum modum, quo homo seu artifex aliquis agere solet: qui ad agendum non procedit absque cognitione intellectuali practica rei agendæ, & efficaci inclinatione voluntatis in eandem. Idem expresse tradit scriptura Proverb. 3. v. 19. *Dominus scientiâ fundavit terram.* Saq. 7. v. 6. *Quis eorum, quæ sunt, magis quam illa, est artifex.* Psal. 103. v. 24. *Omnia in sapientiâ fecisti.* Psal. 135. v. 5. *Qui fecit celos intellectu.*

Controvertitur hic, quanam scientia Dei sit causa rerum, illane, quæ vocatur simplicis intelligentiæ, & necessaria est in Deo, an scientia visionis, seu libera. S. Thomas hic quaest. 14. a. 8. ad 1. in explicatione Origenis inferius referenda, sentire videtur, scientiam Dei liberam, seu visionis, qua aliquid libere futurum cognoscit, esse causam rerum. Idem sequuntur Caietanus, Bannes, & alij Thomistæ recentiores ibidem; quod ex instituto pluribus etiam confirmat Didacus Alvarez lib. 2. de auxil. disp. 16. vbi proinde etiam negat, quia res futuræ sunt, ideo cognosci à Deo futuras; cum potius è contrario dicendum sit: quia Deus scientia libera sciuit aliquid esse futurum, ideo futurum esse. Sed & Gregorius de Valentia hic q. 14. p. 8. ex instituto contendit, id etiam de scientia visionis intelligendum; ut quæ vel maxime sit causa rerum.

Idem sentire videtur Magister in 1. d. 38. vbi ait; *neque enim res futura causa sunt Dei præscientiæ: licet enim non essent futura, nisi præscirentur à Deo; non tamen ideo præsciuntur à Deo, quia futura sunt: si enim hoc esset, tunc eius quod æternum est, aliquid existeret causa ab eo alienum, ab eo diuersum; & ex creaturis penderet scientia creatoris, & creator esset creati causa.*

Fauet eidem sententiæ S. Augustinus tom. 3. lib. 15. de Trinit. c. 13. vbi ait; *universas autem creaturas suas, & spirituales, & corporales, non quia sunt, ideo novit; sed quia novit, ideo sunt: non enim nesciverat quæ fuerat creaturus. Quia ergo sciuit, creavit, non quia creavit, sciuit.* Quod etiam habet lib. 6. cap. 10. similia habet S. Gregorius lib. 20. Moral. cap. 24. & fauet Anselmus in Concord. præscientiæ & prædest. cum lib. arbit. q. 1.

Fundamentum præcipuum præter id, quod ex Magistro retulimus, est, quia scientia non est causa rerum, nisi ut determinata & approbata per diuinam voluntatem liberam; sed scientia determinata per voluntatem diuinam liberam, est libera: Ergo scientia Dei libera, non necessaria illa, quæ dicitur simplicis intelligentiæ est causa rerum.

Nihilominus dicendum est, causam rerum esse eam scientiam diuinam, quæ est simplicis intelligentiæ, ac in Deo secundum se necessaria: quæ nimirum Deus cognoscit res non solum speculative secundum essentiam, sed etiam practice secundum varium modum, quo fieri & produci ab eo possunt; quamvis, ut dictum, eadem scientia proximè & in acta secundo causa non sit, nisi accedente simul libero decreto diuinæ voluntatis, obiectum eiusdem cognitum efficaciter approbantis, ac esse decernentis: ita ut proinde verè ac propriè dici possit, Deum scientiâ liberâ visionis, ideo præscire res futuras, quia futura sunt: non autem futuras, quia Deus futuras præscit; sed quia eas uti possibiles ac à se producibiles, simulque modum eas producendi præcognovit. Ita docent ex instituto Molina hic. q. 14. a. 8. Suarez opusc. de auxil. lib. 1. cap. 13. à num. 15. Vasquez hic q. 14. a. 8. & disp. 68. cap. 6. Zumel cit. artic. 8. in append. quidquid antea ibidem art. 1. disp. vn. in contrarium disputare visus sit. Fauent eidem sententiæ Alensis 1. p. q. 24. n. 2. Albertus, Bonaventura, & Gregorius Ariminensis in 1. d. 38. qui concedunt hanc causalem, ideo res futuras à Deo præsciri, quia futura sunt.

Probatum primò ex SS. Patribus, qui hoc ipsum frequenter asserunt. Iustinus lib. quaest. à gent. positurum q. 58. ait: *Nec causa est eius, quod futurum est, prænotio; sed quod futurum est, causa prænotionis. Neque enim prænotionem sequitur, quod futurum est; sed quod futurum est, prænotio.* Origenes in epist. ad Rom. super illud. *Quos autem prædestinavit, citatus hic a. 8. a. S. Thoma; Non propterea, inquit, aliquid erit, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, ideo scitur à Deo, antequam fiat.* Hieronymus in Ezech. cap. 2. super illa verba; *Et dices ad eos, ait: Non quia ille ventura cognoscit, necesse est nos facere quod ille præsciuit; sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit futurum, quasi Deus.* Similia habet in illud Jerem. 26. *Noli subtrahere verbum.* Similia habent Chrysostomus homil. 60. super Matth. Cyrill. lib. 9. in Ioann. cap. 10. Boetius 5. de consolat. profa. 3. Beda tom. 8. lib. qq. q. 13.

Neque satisfacit, quod respondet S. Thomas cit. art. 8. ad 1. Origenem (eadem est ratio aliorum dictorum) solum esse loquutum de causæ consequentiæ, non de causâ seu ratione essendi: *Sequitur enim, inquit, si aliqua sunt futura, quod Deus ea præscierit: non tamen res futura sunt causa, quod Deus sciat: nam hac ratione etiam dici posset; ideo futurum peccatum, quia Deus præsciuit; quod tamen nemo dixerit; & Patres cit. speciatim Chryl. & Beda, quibus adde August. li. 5. de ciuit. ca. 10. id aperte negant. Accedit, quod hac ratione minime possent negare ciati Patres, res ideo futuras, quia futura cognoscuntur; & tamen hoc ibidem aperte negant.*

Secundo probatur ratione. I. Quia quævis scientia supponit suum obiectum, quod cognoscit, ea saltem ratione, qua illud tanquam verum cognoscit; cum ideo sit verus intellectus, quia intelligit aliquid prout est: quo sensu etiam S. Augustinus lib. 1. de Genes. ad lit. cap. 32. ait: *Neque enim cognitio fieri potest, nisi cognoscenda præce-*

dant: Res autem futurę sunt obiectum scientię visionis.

II. Quia Deus æque cognoscit peccata futura, ac bona quęlibet futura; & tamen peccatorum non est causa.

III. Quia scientia visionis, & scientia intuitiva, cum terminetur ad res existentes, qua tales, supponit rerum existentiam, non facit. Neque dicas, supponere in quantum intuitiva est, producere autem in quantum practica est: nam impossibile est, vt cognitio quędam saltem ratione suę veritatis id efficiat, quod ipsa ratione eiusdem veritatis supponit: nisi quis dicat, cognitionem diuinam non esse causam rerum ratione suę veritatis, sed solum ratione significationis, vt de forma Eucharistię suo loco dicitur: quod tamen ad pręsens institutum accommodari non potest; cum cognitio illa non sit signum aliquod instrumentale aliquid significans, seu cognitio-nem aliquam causans.

9 IV. Quia de scientia Dei practica, seu quę est causa rerum, ratiocinari debemus secundum analogiam alicuius artificis, ad effectum artificialem producendum procedentis, vt supponit etiam S. Thomas citat. artic. 8. at vero in artifice hæc est progressio, vt docet idem S. Thomas in. I. distinct. 38. quęst. I. articulo I. Primo scientia artificis ostendit finem; secundo voluntas intendit illum; tertio imperat actum, per quem educatur opus, & tandem circa tale opus scientia artificis ponit formam conceptam. Vbi sane scientia practica finem proponens, vel ostendens (eadem est ratio mediorum) non est scientia visionis, seu futuritionis ipsius finis, seu mediorum sed scientia eorundem veluti possibilem.

V. Scientia, quę est causa rerum, determinari debet per liberam voluntatem Dei, quę proinde ad illam adiungi seu accedere debet; vt fatentur contrarię sententię authores; & loquitur S. Thomas hic quęst. 14. citat. artic. 8. qui etiam quęstione 2. de verit. articulo 14. in corp. & ad 2. ait: *Mediante diuina voluntate, proueniunt res à scientia DEI.* Vbi inter scientiam, quę est causa rerum, & inter res ipsas mediam ponit diuinam voluntatem: at vero scientia visionis, non determinatur per diuinę voluntatis liberum decretum, neque hoc ad scientiam visionis accedit: quia nihil determinatur per id, quod prius est; neque id accedere ad alterum dicitur, quod prius est, sed quod posterius: at vero scientia visionis sequitur secundum rationem liberum decretum DEI, non antecedit; quare etiam voluntas non est media inter illam scientiam, & inter rem ipsam, sed potius scientia visionis est media inter voluntatem, & res ipsas, quia cognosci futurum non potest, nisi quod futurum est; at vero futurum non est nisi supposito libero decreto diuinę voluntatis, vt patet.

10 VI. Quia supposito decreto Dei de re futura, eo ipso iam res futura est, absque alio actu cognitionis secuturę: cum non possit non esse futurum quod Deus decernit futurum: Ergo cum scientia visionis sequatur liberum decretum Dei de re fu-

tura, non potest ipsa esse causa rei futurę: quia causa non potest esse posterior effectui: neque effectus prius ratione futurus est quam ex vi causę, adeoque supposita aliquo modo causa.

VII. Quia scientia practica, quę est causa rerum, debet esse ratio quędam dirigens decretum liberum artificis, adeoque etiam diuinę voluntatis: intellectus enim ad effectum artificiatum concurrat, in quantum voluntatem dirigit, iuxta Sanct. Thomam I. parte quęst. 19. articulo 4. ad 4. at vero scientia visionis, cum sit posterior libero decreto Dei, secundum rationem nostram, non potest eam voluntatem Dei dirigere. Ergo scientia visionis non est causa rerum. Verba S. Thomę loco cita. sunt: *Unum est eiusdem effectus, etiam in nobis, est causa scientia vt dirigens, quę concipitur forma operis; & voluntas vt imperans: quia forma vt est in intellectu tantum, non determinatur ad hoc, quod sit, vel non sit in effectu, nisi per voluntatem. Vnde intellectus speculatiuus nihil dicit de operando.* Ita S. Thomas.

Ad locum Sancti Augustini, & Gregorij pro contraria sententia allatum, respondetur, eos duntaxat negare, res ideo cognosci à Deo, quia sunt; quãsi videlicet scientia Dei pendeat ab existentia rerum: non autem negant, præsciri futuras, quia futurę sunt. Significant etiam simul cognitionem Dei esse causam, cur res futurę sunt: sed non loquuntur de scientia visionis, sed absolute ac indefinite de scientia Dei: quod pro ratione subiectę materię, ad scientiam simplicis intelligentię recte accommodari potest.

Ad primam rationem respondetur, non ideo, proprie loquendo, res ipsas futuras, esse causam cognitionis diuinę, cum solum sint ratio quędam cognoscendi per modum termini, non autem per modum obiecti mouentis & determinantis potentiam ad cognitionem, vt sæpe superius diximus. Valquez tamen disputat. 67. cap. 6. numero 46. non veretur etiam dicere, rem futuram esse causam præcognitionis Dei; quo modo etiam loquentem vidimus S. Iustinum: non quod sit causa physica alicuius existentis in Deo realiter, quę in ipsum Deum re ipsa operetur, vel quippiam influat; sed solum quod sit causa respectus, & denominationis, ob quam scientia Dei præscientia nominatur: nam nisi res formaliter essent futurę, scientia Dei respectu illarum, non haberet rationem præscientię. Sed quia scientia libera Dei non dicit solum respectum rationis, vt inferius quęst. 10. dub. 4. dicitur, non probatur ille modus loquendi.

Ad secundum fundamentum respondetur, causam rerum esse quidem scientiam determinatam per diuinam voluntatem; sed eam ipsam tamen esse scientiam simplicis intelligentię, non visionis: illa enim est quam voluntas Dei libera supponit, eique adueniens determinat: eam scientiam visionis, vt pote posteriorem, determinare non possit, neque ei superuenire seu aduenire, vt dictum. Quando autem dicitur, scientiã, quę est causa rerum, eo ipso, quod iam est determinata seu approbata per diuinam voluntatē, esse liberam; negatur assumptum, si de scientia illa

secundum

secundum se loquamur: potest enim approbari per voluntatem liberam etiam illud, quod secundum se necessarium est. Sicut enim volitum esse potest, quod non est voluntarium; ita libera voluntate approbatum, etiam quod necessario fuit volitum. Concedi tamen debet, scientiam simplicis intelligentiæ, per hoc, quod à libera voluntate diuina approbatur, nouam inde denominationem accipere, vt dicatur *scientia approbationis*; secundum quam denominationem etiam fatendum est, eam scientiam esse liberam, ipsamque voluntatem, vt ipse formam dominantem, esse ratione priorem ipsa scientia approbationis, quæ talis est, seu quæ talem sortitur denominationem: sicut omnis forma denominans prior est secundum rationem ipsa denominatione: cum hæc fundetur in illa; non è contrario illa in ista. Exemplum simile est in fide, quæ secundum se & suam substantiam vtique prior est charitate, vt suo loco docetur; at vero nihilominus quatenus à charitate, denominationem *fidei formata* accipit, vt sic, & secundum hanc denominationem extrinsecam, quæ à charitate velut forma dominante desumitur, est ratione posterior charitate, tanquam forma denominante.

13 Ad Magistrum autem; & cæteros Scholasticos quod atinet, existimat Vasquez citat. c. 6. num. 44. difficultatem solummodo habere Sanctum Thomam; cæteros vero solum negare res futuras, esse causas diuinæ *scientiæ secundum modum essendi*, vt expresse loquuntur Albertus in 1. dist. 38. artic. 3. Bonauentura quaest. 1. & 2. & Gregorius quaest. 2. articulo 3. hoc est, vt ipse declarat, causam propriam ipsius scientiæ diuinæ secundum suam entitatem. Sed & sanctum Thomam fortè nihil aliud voluisse, probabile videri potest: præsertim cum is aliqui secum ipse pugnare videatur, si iuxta oppositam sententiam accipiatur, vt ex ratione quarta & quinta nostræ sententiæ colligitur. Verùm quicquid sit de hac re, ex dictis liquet, nostram sententiam satis & auctoritate, & ratione esse firmatam.

14 Atque ex his etiam intelligitur simile quoddam attributum diuinæ scientiæ, quod sit *practica*. De qua re agit Sanctus Thomas hic quaest. 14. art. 16. vbi docet, scientiam diuinam aliam esse practicam, aliam speculatiuam: & quidem Deum de seipso habere scientiam speculatiuam tantum, non practicam; cum obiectum talis scientiæ non sit practicum: de alijs autem rebus partim practicam, partim speculatiuam; hanc quidem de merè possibilibus, numquam futuris; illam verò de illis, quæ aliquando erunt. Quod etiam repetit quaest. 15. art. 3. vbi tamen S. Thomas de practica scientia loquitur restrictè, & prout est practica in actu secundo; à qua videlicet re ipsa quandoque manat opus, seu quæ re ipsa & actualiter atque efficaciter refertur ad opus aliquod efficiendum; quam proinde vocat ibidem practicam, etiam *rationem finis ipsius cognoscentis*: eundemque loquendi modum absolute sequitur Caietanus hic q. 14. a. 16. & Thomistæ alij.

15 Interim loquendo vniuersim de scientia practica, etiam in actu primo, quam videtur sanctus

Thomas ibidem quaest. 15. art. 3. ad 2. vocasse *practicam virtute*, dicendum est, eam in Deo non solum esse respectu rerum futurarum, sed etiam merè possibilem; ita vt aliud non sit, quam scientia de rebus, seu merè possibilibus, seu aliquando re ipsa futuris, quatenus hoc vel illo modo possunt fieri; cū interim scientia speculatiua sit de iisdem rebus, solum secundum se & suam naturam spectatis, vt bene docent Suarez hic lib. 3. caput. 4. num. 12. & 13. & Vasquez disp. 69. n. 3.

Quare minime audiendus est Scotus quaest. 4. prolog. & in 1. disp. 38. asserens, scientiam quidem sui ipsius magis, quam creaturarum, in Deo esse practicam; proprie tamen nullam scientiam in Deo, nec sui ipsius, nec creaturarum esse practicam: eo quod neutra sit regula diuinæ voluntatis; nec etiam ante liberam determinationem voluntatis diuinæ, præcedat dictamen intellectus. In qua re ipse & vocabulis abutitur, vt dictum supra disp. 1. quaest. 4. dub. & falsum supponit; cum secundum rationem nostram, in Deo, voluntatem liberam verè præcedat dictamen diuini intellectus: è contrario vero scientia Dei, quatenus dicit ipsi amorem sui, verè ac proprie non sit practica: quia amor ille non est liber.

Ad res vero creatas pertinent illa, Prouerb. 3. Ierem. 10. & 15. vbi diuina scientia vocatur *prudentia*; & Sapient. 7. & 8. *artifex* seu artificiosa; quæ sunt propria practiciæ scientiæ nomina; vt proinde scientia diuina respectu rerum creaturarum, non solum sapientia, & scientia, sed etiam *prudentia*, & *ars* perfectissime vocetur, vt dictum etiam supra dub. 1. & rectè notant Gregorius de Valentia quaest. 14. punct. 8. Suarez lib. 3. cap. 4. numero 3. & 5. Vasquez disputatio. 69. capit. 1. & 2.

16 Addit Sanctus Thomas quaest. 14. art. 16. mala moralia, seu peccata, licet à Deo non sint operabilia, tamen sub *cognitione ipsius practica* cadere, *sicut & bona; in quantum permittit, vel impedit, vel ordinat ea; sicut & agritudines cadunt sub practica scientia Medici, in quantum per artem suam eas curat.*

Ex quibus denique etiam decidendum est, an practica scientia pertineat ad scientiam visionis, an simplicis intelligentiæ; item an sit eadem cum ea, quæ est causa rerum, an ab ea diuersa. De qua re Gregorius de Valentia hic quaest. 14. citat. punct. 8. insistenti ei sententiæ, quæ dicit, scientiam visionis esse causam rerum, ad propositum distinguit triplicem scientiam in Deo; primò rerum secundum earum esse possibile, *quo modo nominatur*, inquit, *scientia simplicis intelligentiæ*; secundo scientiam earundem, secundum modum, quo fieri & ordinari debeant; *quo pacto*, inquit, *vocatur scientia practica*. Tertio scientiam visionis, quam dicit vel *maxime esse causam rerum*.

17 Sed ex dictis colligitur, scientiam practicam non rectè distingui contra scientiam simplicis intelligentiæ; imo practicam scientiam spectare ad scientiam simplicis intelligentiæ; scientiam autem visionis esse speculatiuam, non practicam, nec causam rerum. Colligitur item, eandem

scientiam esse practicam, & causam rerum non tamen has inter se conuerti; cum scientia practica latius pateat, quam scientia, quæ & quatenus est causa rerum: practica enim est ab æterno, & si de practica generatim loquamur, etiam necessariò; causa autem rerum non est nisi libera: & proprie quidem ac formaliter etiam non nisi in tempore: sicut enim DEO ab æterno non conuenit esse dominum rerum, ita nec esse causam propriè & formaliter, atque in actu secundo. Differt ergo practica scientia à scientia, vt est causa rerum, tanquam continens à contento; practica enim secundum se ac in genere nõ requirit adiunctum liberum decretum DEI; ea vero quæ est actualis causa rerum, & dicitur scientia approbationis, vt dictum, qua talis, plane requirit.

#### DVBIVM XI.

### De Concordia diuina præscientiæ cum libero arbitrio.

S. Thom. 1. p. q. 14. a. 13.

**S**uppono tanquam de fide certum, esse ac manere, etiam post peccatum, liberum arbitrium, adeoque libertatem non solum à coactione, sed etiam à necessitate, in actionibus humanis deliberatis, tam bonis, quam malis, vt definitur in Concil. Tridentino sess. 6. canon. 4. 5. 6. & ex Scriptura ac Patribus fuscè probant Bellarminus lib. 3. de gratia & lib. arbit. & Gregorius de Valentia disput. 6. quæst. 6. punct. 4. vbi etiam ex instituto dissoluunt argumenta hæreticorum contrarium sentientium: in quibus præter Stoicos veteres, Simonum Magum, & Manichæos, fuerunt etiam Wicleffus, vt patet ex artic. 27. inter damnatos à Concilio Constantiensi sess. 8. Lutherus in lib. de seruo arbitrio, & in articulis Schmalcaldicis, Melanchthon in locis, præsertim antiquioribus, titulo seu capit. de lib. arbitrio, Caluinus lib. 2. Institut. cap. 2. sect. 4. & 8. quanquam & hi inter se mutuo variant; & Lutherus etiam, atque Philippus, singuli etiam à seipsis dissentiant; cum postea in Augustana Confessione, eiusque Apologia liberum arbitrium saltem in actionibus ciuilibus admitterent & agnouerint. Optimus locus contra hunc errorem, est ille Ecclis. 15. vers. 14. *DEVS ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata & præcepta sua: si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam & ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam: Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.*

**S**uppono secundo, libertatem formaliter esse in voluntate; quæ ipsa proinde est & dicitur liberum arbitrium, quatenus omnibus positis ad agendum, tam ex parte intellectus, seu obiecti, quam aliunde prærequisitis, potest agere vel non agere; consentire vel non consentire &c. Ocka-

mum verò in 1. dist. 38. q. 1. & alios quosdam Nominales, dum asserunt, ad præsens vt præsens, sicut & ad præteritum, libertatem non esse; ex quo sequi videtur, peccata & actiones quilibet præsentis, cum præsentis sunt, liberas non esse, rectè explicat Vasquez hic disput. 68. cap. 7. numer. 54. etsi à nonnullis propterea erroris arguantur.

His positis, cum omnino constet, diuinam præscientiam (vti nec quicquam aliud) liberum arbitrium non tollere, nec cum eo pugnare, vt putauit Wicleffus, Caluinus, & Lutherus locis citatis. illud solum restat hoc loco explicandum, quomodo concordet liberum arbitrium cum præscientia diuina futurorum contingentium superius dub. 5. explicata. Cui difficultati alia ratione melius satisfieri non potest, quam si argumenta, quæ ex ea contra libertatem arbitrij obijciuntur ab hæreticis, aut porro etiam obijci possunt, dissoluerimus.

Et prima quidem obiectio, seu ratio difficultatis, est ista. Quia quod necessariò fit, ex hypothese antecedente liberum vsum arbitrij, & in nostra potestate non sit, simpliciter & absolute necessariò fit, vt si quotidie sole oriente currendum nobis esset: At si in Deo ab æterno datur scientia certa & infallibilis futurorum contingentium, tunc quicquid à nobis fit, necessariò fit ex tali hypothese antecedente liberum vsum arbitrij nostri, ac in nostra potestate non sit: Ergo simpliciter & absolute necessariò fit. Minor probatur. Quia præscientia Dei de rebus etiam quibusque contingentibus futuris, est certa planè ac infallibilis, adeo, vt hac supposita, verum, adeoque futurum non esse, quod per eam à Deo cognoscitur, impossibile sit. Eadem verò etiam hypothesis, tum quia præterita est, & tota æternitate prior vsu liberi arbitrij nostri; tum quia plane immutabilis est in Deo, vt superius dictum, videtur esse prorsus antecedens liberum vsum arbitrij nostri, & nullo modo in nostra potestate.

Hanc difficultatem ex instituto expendit ac dissoluit S. Anselmus lib. de concord. præscient. & prædestinat. cap. seu quæst. 1. vbi distinguit duplicem necessitatem: vnã antecedentem, quæ etiam simpliciter & absolute necessitas dicitur, & sæpe etiam vocatur necessitas consequentis; alteram vocat consequentem seu concomitantem, quæ etiam necessitas solum ex hypothese, seu consequentia dicitur; quæ libertatem non tollit nec impedit: quæ doctrina sub his terminis explicabimus inferius qu. 10. dub. 8. Interim certum est, & inter omnes conuenit, necessitatem solum ex hypothese esse, ac cum libertate minimè pugnantem, quæ solum sequitur ex ea hypothese, quæ secundum naturam aut rationem non antecedit liberum vsum arbitrij nostri; esto præcedat tempore.

Quo posito, ad argumentum obiectum responderetur, distinguendo maiorem. Nam si hypothesis illa re & ratione antecedit liberum vsum arbitrij nostri, ita videlicet vt nec supponat, nec includat ipsam futuritionem liberi actus, tum



esto maior; quanquam etiam hoc modo limitationem requirat, vt citat. quæst. 10. dicitur. Ac si hypothesis aliqua tempore solum, non autem ratione ac natura antecedit liberum vsum arbitrii nostri, sed potius hunc ipsum vt futurum supponat, negatur maior; solum enim inde colligitur, & infertur necessitas consequens, quæ vsum liberi arbitrii non impedit, vt dictum. Iam vero quod ad minorem attinet; hypothesis illa præscientiæ Dei, etsi re & tempore præcedat vsum liberi arbitrii nostri, non tamen ratione vel natura: sed potius hic, vt futurus, ratione antecedit præscientiam; quæ proinde supponit liberum actum futurum. Quia vt dictum dub. præced. scientia visionis non est causa rerum, aut vsum liberi arbitrii nostri: neque ideo ista futura sunt, quia Deus illa præscit; sed potius ideo præscit futura, quia futura sunt. Aliter respondent ad hoc argumentum illi, qui scientiam visionis ponunt esse causam rerum; in quibus est etiam Gregorius de Valentia, & vt apparet S. Thomas ex dictis ibidem; de qua re plura infra q. 10.

5 Et verò quod hypothesis illa, quæ etsi tempore, non autem natura vel ratione antecedit liberum vsum arbitrii, libertatem non impediatur, licet ex ea necessaria consequentia sequatur effectus, est extra controuersiam, & concedunt omnes, vt dictum. Exempla manifesta sunt, in prædictionibus prophetiis, & quibuscunque prædictionibus veris futurorum; quibus etsi positus, necessaria consequentia sequatur effectus prædictus; nullam tamen illa necessitatem absolutam adferunt. Simile quid accidit in visione, quæ quis aliquem videt scribentem, vel ambulantem; hæc enim visione positâ, etsi necessarium sit necessitate consequentia, siue ex suppositione, aut in sensu composito, aliquem scribere vel ambulare; non tamen necessitate absolutâ, quæ libertati repugnat; cum nihilominus simpliciter & absolute loquendo, is qui scribens vel ambulans videtur, possit non scribere, vel non ambulare. &c.

6 In quem sensum ita loquitur sanctus Anselmus loc. citat. *Denique si quis intellectum verbi proprie considerat, hoc ipso, quod præsciri aliquid dicitur, futurum esse pronunciat. Non enim nisi quod futurum est præscitur; quia scientia non est nisi veritatis. Quare cum dico, quia si præscit aliquid, necesse est, illud esse futurum; idem est, ac si dicam, si erit, ex necessitate erit. Sed hæc necessitas non cogit, nec prohibet aliquid esse aut non esse. Ideo enim quia ponuntur res esse, dicuntur ex necessitate esse; aut quia ponuntur non esse, affirmantur non esse ex necessitate: non quia necessitas cogat aut prohibeat rem esse, aut non esse. Nam cum dico, si erit, ex necessitate erit, hic sequitur necessitas, quæ rei positionem non præcedit. Et inferius: Ortus solis, inquit, duabus necessitatibus futurus intelligitur; scilicet ex præcedenti, quæ facit rem esse; ideo enim erit, quia necesse est, vt sit: & sequenti quæ nihil cogit esse; quoniam idcirco necessitate futurus est, quia futurus est.*

7 Accedit quod licet absolute & proprie loquendo, in nostra potestate non sit, facere vt Deus non præscierit, aut non præsciat hoc, ob

dictam superius causam, & quia ad præteritum, non datur potentia; quo modo etiam communiter loquuntur Theologi, speciatim sanctus Thomas hic quæst. 14. articulo 13. ad 1. Molina ibidem disputat 16. Suarez opusc. 2. lib. 1. capit. 9. numero 9. & 20. Vasquez disput. 68. cap. 7. etsi quidam aliter loquantur apud citatos: tamen est in potestate nostra quiddam facere, seu ita agere; quod si faceremus, Deus id nunquam præsciisset, quod præsciuit, vt omnes fatentur. Aliam responsionem magis generalem, ad hanc difficultatem differo ad quæstionem 10. dub. 8.

Secunda ratio difficultatis & obiectio continetur hoc logico argumento: Etenim in omni bona ac formali consequentia, posito antecedenti, necessario absolute, sequitur conclusio item necessaria absolute: atqui in isto syllogismo; Quicquid Deus præsciuit, est futurum; Deus præsciuit, Petrum peccaturum; Ergo Petrus peccabit; Antecedens quoad vtramque propositionem est absolute necessarium, vt de maiori est per se notum; de minori fatetur S. Thomas hic art. 13. ad 2. Ergo sequitur conclusio absolute necessaria.

Ad hoc argumentum, quod iactabat etiam, ad suum errorem (omnia absoluta necessitate euenire) stabiliendum, Wicleffus, apud Waldensem tomo. 1. lib. 1. articulo 1. cap. 22. variæ sunt responsiones, vt videre est apud Suarium opusc. 2. lib. 1. cap. 9. & Vasquez hic disput. 68. cap. 2. Præcipuæ vero sunt duæ, non re ipsa, sed verbis contrariæ, vt rectè declarauit Albertinus tom. 1. princip. 4. Coroll. 1. punct. 9. Prima est S. Thomæ & Thomistarum hic quæst. 14. artic. 13. ad 2. qui sub distinctione, concessit maiore, nimirum, consequens necessarium esse debere necessitate antecedentis, vel secundum se, vel in sensu composito, vt subest actui animæ ipsius diuinæ præscientiæ in antecedenti posito. Sæper enim quando in antecedenti ponitur aliquid pertinens ad actum animæ, consequens accipiendum esse, non secundum esse quod in se habet, sed secundum quod est in anima, etiamsi id non exprimitur. Quam responsionem contra Ariminensem prolixè defendit Caietanus, Ferrariensis, & Albertinus locis citat. & in re non est mala, nec contraria sequenti.

9 Altera tamen facilior & planior, eademque communis responsio veterum Scholasticorum, Alberti, Bonauenturæ, Richardi, Scoti, Durandi, Gabrielis, Ariminensis, Ockami in 1. d. 28. Marfilij in 1. quæst. 40. Ferrariensis primo cont. gent. c. 67. quam præ cæteris etiam sequuntur & tuerentur Suarez, & Albertinus loc. cit. licet à S. Thomæ hic quæst. 14. art. 13. ad 2. repudiata, est; propositionem minorem in dicto syllogismo, vere ac proprie loquendo, non esse necessariam absolute & in sensu diuiso: cum simpliciter & absolute sit veluti contingens, Deum id præsciuisse; si quidem absolute potuit non præscire: sed tantum esse necessariam ex hypothesi, ac in sensu composito, supposita scilicet futuritione ipsius peccati, quæ ratio quædam fuit præscientiæ eiusdem peccati, vt dub. præced. dictum. Qua ratione etiam conclusio,

Petrum

Petrum videlicet peccaturum, necessaria est nimirum in sensu composito, & ex hypothesi ipsius antecedentis, inuoluentis seu potius supponētis, vt dictū ipsam futuritionem peccati, quæ hypothetica necessitas non tollit libertatem, vt in argumento præcedenti dictum.

10 S. Thomas verò loc. cit. *absolute necessarium* vocauit, non quod absolute, & nulla in re facta hypothesi necessarium esset, sed quod ex ipsius terminis, absque alio nouo additamento, necessarium est, vt recte etiam notarunt Greg. de Valentia, Vasquez, Albertinus, & alij l. c. Atque hoc eodē sensu minorē propositionē propterea absolute necessariam dixit; quia est propositio de præterito; cuius significatum hoc ipso quod tale est, non subiaceret amplius vlli mutationi, seu dispositioni contrariæ, qua in irritum reuocetur, seu qua infectum reddatur, quod factum est: cum ad præteritum hoc sensu nulla detur potentia. Consequens verò necessarium esse admittit eodē modo ac sensu, hoc est, sine alio extrinsecus assumpto additamento; quia id per se ac necessario, pro ratione subiectæ materiæ; putauit non aliter posse intelligi, quam vt substat actui animæ ipsius diuinæ præscientiæ in antecedenti posito, adeoque ex hypothesi ipsius antecedentis, ob dictam superius causam.

11 Tertio obijcitur. Aut ex hypothesi & suppositione facta, quod Deus præsciuerit Petrum peccaturum, est in potestate Petri contrarium facere, aut non. Si non est, ergo tollitur liberum arbitriū, ad quod requiritur simpliciter & absolute, adeoque re ipsa & omnibus spectatis, non obstante vlla hypothesi in re existente, posse aliquid facere vel nō facere. Si est in potestate illius non peccare, poterit ergo etiam stante illa hypothesi re ipsa nō peccare: ponamus ergo factum, quod possibile est; quia quod possibile est fieri, possibile est factū esse: sane tunc Petrus falsam reddiderit diuinā præscientiam: quæ proinde aut non erit infallibilis & certa; aut necesse est dicere, eā suppositā, Petrum non posse facere oppositum eius, quod à Deo præscitum est; adeoque non habere liberum arbitriū in rebus à Deo præscitis.

Respondetur; simpliciter esse in potestate Petri, non peccare, etiam postquam Deus præsciuit illū peccaturum, vt recte probat argumentū: nō quod in illo sit potestas ad componendum seu coniūgendum oppositū actū, seu omissionē actus, qui est nō peccare cum illa suppositione præuisionis peccati (qui vocari in proposito solet *sensus compositus*) sic enim esset potestas in Petro ad cōtradictoria simul iungenda, videlicet ad peccandum simul & nō peccandum: sed quia hypothesis illa præscientiæ diuinæ non excludit potestatem simpliciter ad peccandum, in sensu diuiso, vt recte Suarez cit. cap. 3. n. 18.

12 Atque idem responderetur ad idem quæsitū, sub alijs terminis: An Petrus possit peccare, non obstante præscientia. Reuera enim in sensu diuiso potest nō peccare, quātumuis in re existēte, adeoque re ipsa suppositā præscientia peccati: nō tamē in sensu cōposito; quasi videlicet vtrumq; simul cōponere possit, præscientiā peccati futuri, & peccati præuisi deuitationem. Neq; verò ideò quod peccati præscientia re ipsa iā supponitur, si nihilo-

minus ea non obstante Petrus potest non peccare, necesse est, vt Petrus possit id ipsum, quod est non peccare, coniungere & componere cum præscientia peccati: quia sensum compositū nō facit potestas ad oppositum faciendū eius, quod factū aut futurū supponitur; sed quando ex parte obiecti ipsius potentia, vtrumq; simul copulatur, ita vt coniūctim vtrumq; ponatur, peccatum scilicet esse præscitum adeoque futurum, & peccatum non esse futurum. Potentia quidem igitur ad oppositum eius quod præscitum est, coniungi & componi potest eum præscientia diuina, sed non ipsum expositum præsciti.

Sicut enim dicimus, possibile est sedentē stare, in sensu diuiso, etiam posito quod quis sedeat; nō tamen in sensu cōposito, ita vt simul iungatur statio cum sessione: ita etiam possibile est præscitum non facere, non quidem quatenus præscitum est, & iungendo oppositum præsciti cum præscientia, sed materialiter id quod est præscitū, nec cū præscientia mente formaliter cōiungendo oppositum præsciti. Hæc solū differentia materialis est inter vtrumq; quod statio re ipsa potest cessare ac mutari cū sessione; præscientia autem Dei cessare non potest, nec mutari, aut transire in oppositū siue in præscientiā oppositi; ex quo tantū sequitur, nunquam futurū esse, vt contrariū eius fiat, quod præscitum est: nō tamē vt non possit homo intrinseca & expedita potentia facere oppositū in sensu diuiso. Aliud est enim dicere, posse aliquem facere oppositū eius, quod præscitum est, aliud fieri posse, vt oppositum fiat ei; quod est præuisionem: sicut aliud est prædestinatus potest damnari, aliud fieri potest vt prædestinatus damnetur; his enim locutionibus sensus compositus; illis verò solum diuissus, vt suo loco pluribus dicitur de prædestin. q. 6. dub. 1. & 3. & q. 7. dub. 5.

Dices: Si statio re ipsa nunquā posset cessare, & mutari in sessionem, tunc verè diceremus, impossibile esse stantem federe: ergo cum in proposito nunquā possit mutari diuina præscientia, & transire in scientiā oppositi, pari modo dicendum est, absolute impossibile esse, facere oppositum eius, quod præscitum est.

Respondeo, negando consequentiam; quia sessio est aliquid intrinsecum homini, & habet physicam repugnantiam cum statione; & e contra: at verò præscientia futuri est aliquid extrinsecū homini; nec habet physicā in eo repugnantiam cum opposito præsciti, sed solum obiectiuam: unde fit quidem, vt nunquā futurum sit, aut fieri possit oppositum præsciti, suppositā præscientia, non autē vt quis intrinseca potestate libera facere non possit oppositū. Eodē videtur spectare S. Thomas hic q. 14. a. 13. ad 3. vbi cum fuisset obiectum, in formis inseparabilibus non habere locum prædictam distinctionem &c. vt si dicam, ceruum nigrum, possibile est esse album, quia in vtroque sensu est falsum. Esse autem scitum à Deo, est inseparabile à re; quia quod est scitum à Deo, non potest esse non scitum. Respondet ipse. *Hæc instantia locum haberet, si hoc quod dico, scitum, importaret aliquam dispositionem subiecti inhaerentem: sed cum importet, actum scientis; ipsi rei scitæ, licet semper sciatur, potest ali-*

quid

quid attribui secundum se, quod non attribuitur ei, in quantum fiat sub actu sciendi.

14 Quo modo responderetur etiam ad instantiam superius argumento adiectam. Cum enim in hypothese facta ipsius diuinæ præscientiæ includatur & supponatur ipsa futuritio peccati, vt dictum, fieri non potest, vt re ipsa futurum aut factum ponatur oppositum eius, quod præuisum est; videlicet Petrum non peccare: sic enim stare simul vtrumque contradictorium, videlicet Petrum peccaturum ex hypothese præuisiois, quæ supponit futuritionem peccati, vt dictum; & non peccaturum ex hypothese data; atque ita proinde fieret sensus compositus. Secus est, si loquamur de posse non peccare, vt significat intrinsecam potestatem liberam in Petro, ad non peccandum; hac enim etiam stante, non redditur sensus compositus, quo videlicet futuritio peccati cum non futuritione eius coniungatur; quandoquidem etsi possit non peccare, alterum tamen solum contradictorium illud, quod præuisum est, infallibiliter futurum est, videlicet Petrum peccaturum. Sensus igitur compositus & falsus est, cum dico, Petrus potest peccare simul & non peccare; sensus diuisus & verus est, Petrus potest peccare, & potest non peccare; siue quod idem est, potest peccare, vel non peccare. Et vero etiam alias sæpe rectè dicitur, aliquid posse Deum aut hominem facere, quod tamen factum poni non potest: nempe quoties ex facto esse, sensus diuisus, in quo solum aliquid facere aliquem posse conceditur, mutatur & transit in sensum compositum, adeoque impossibilem. Dicimus enim, Petrum posse comedere hodie singulos panes huius vrbis, non omnes copulatum; & tamen concedi minime potest, nec verò etiam consequens

est, comedisse singulos: tunc enim etiam comedisset omnes copulatum quod impossibile est; de qua re plura quæst. 11. dub. 4.

15 Quarto obijcitur. Omne scitum à Deo necesse est esse; quia certitudo & infallibilitas præscientiæ hoc postulat: si ergo Deos præscit futura, necesse est illa esse; ergo sunt necessaria. Respondetur, cum Suarez hic lib. 3. c. 3. n. 16. opus. cit. lib. 1. de scientia Dei cap. 9. nu. 21. tam antecedens, quam consequens esse verum, non de necessitate simpliciter, opposita libertati; sed de necessitate immutabilitatis & infallibilitatis, adeoque compositionis & in sensu composito. Eodem redit solutio S. Thomæ hic q. 14. a. 13. ad 3. vbi ait: *Ea que sunt scita à Deo, oportet esse necessaria secundum modum, quo subsunt diuinæ scientiæ; non autem absolute secundum quod in proprijs causis considerantur. Vnde & hac propositio. Omne scitum à Deo necessarium est esse, consuevit distinguere; quia potest esse de re, vel de dicto: si intelligatur de re, est diuisa & falsa; & est sensus, omnis res quam Deus scit est necessaria. vel potest intelligi de dicto; & sic est composita & vera; & est sensus, hoc dictum, scitum à Deo esse, est necessarium, &c.* Plura Vasquez disp. 68. cap. 5.

16 Quo modo verò cū libertate concilietur sciētia approbationis, nil attinet hoc loco speciatim declarare: quia cū secundum se accepta, vt est ipsa scientia simplicis intelligentiæ, non necessario secū trahat vel inferat effectū, nihil parit ea hac in re difficultatis. Prout verò, adiunctū habet liberū decretū diuinæ voluntatis, & formaliter scientia approbationis dicitur, sic quidē secum infallibiliter trahit effectū cognitum: sed non ratione sui præcisè, sed ratione adiunctæ voluntatis liberæ, quæ quomodo cū libertate arbitrij concilietur, infra q. 10. dub. 8. dicitur. Atque hæc de diuina scientia satis.

## Q V Æ S T I O IX.

### De Ideis Diuinis.

S. Thomas 1. p. q. 15. aa. 3.



*Resoluetur hac quæstio duabus dubitationibus. I. An & quid sint Ideæ in mente diuina. II. Quot & quarum rerum Ideæ sint in mente diuina. Et poterat quidem hæc renouari ad quæstionem præcedentem, de diuina scientia; quia Ideæ ad scientiam artificis pertinent: ne tamen nimis proluxa euaderet ea quæstio; & quia ipse etiam S. Thomas hic quæstionem de Ideis, à quæstione de scientia Dei seiuinxit, eademq; postposuit; non inconsulto eam nos etiam à præcedenti seiuinximus.*

#### DVBIVM I.

### An, & quid sint Ideæ in mente diuina.

S. Thom. 1. p. q. 15. a. 1.

1 **I**deæ generatim loquendo nihil aliud est, quam exemplar seu forma quædam, ad cuius imitationem artifex liberè quiddam, & ex intentione operatur, iuxta S. Thomam q. 3. de verit. a. 1. Ea duplex est; vna externa, quam oculis intuetur artifex; seu quam extra se à parte rei existentem imitatur arti-

fex: altera interna, & in ipsa mente artificis sita. Hoc posito ad propositam dubitationem sequentibus assertionibus respondemus.

2 **A**ssertio I. Sunt, & dantur in mente diuina Ideæ. Ita post S. Dionysium c. 5. de diuin. nom. & S. Augustinum l. 83. qq. q. 46. & alibi sæpe, vnanimiter docent Scholastici, cum S. Thoma hic q. 15. a. 1. & de verit. l. cit. & cum Magistro in 1. d. 35. & 36. conformiter Socrati, Platoni, vbi de formis separatis agit, alijsq; antiquis Philosophis, vt refert Vasquez hic disp. 71. c. 1. vbi etiam post alios censet, Aristotelem Platoni, in referenda & exponenda hac eius sententia, fecisse iniuriam.

Ratio